DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

GENUINO FEBRIUM INTERMITTENTIUM LARVATARUM CHARACTERE, ILLARUMQUE PECULIARI INDOLE.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

GENUINO FEBRIUM INTERMITTENTIUM LARVATARUM CHARACTERE, ILLARUMQUE PECULIARI INDOLE

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

NICOLAI GEORGII OOSTERDYK

MED. DOCT. MEDICINAE THEORETICAE ET PRACTICAE PROFESSORIS ORDINARII

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu &*
Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *Decreto*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis,
IN ACADEMIA LUGDUNO—BATAVA
ritè & legitimè consequendis

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

DANIEL CRAANEN

NARDENA—BATAVUS

COLLEGII CHEMICO-PHARMACEUTICI, QUOD PARISIIS EST, SODALIS

Ad diem XIV. *Maji* MDCCCVI. *Hora* IX ad XI. *L. S.*

LUGDUNI—BATAVORUM
APUD DANIELEM DU SAAR.
MDCCCVI.

PARENTI OPTIMO

DANIELI VAN BOSHUIZEN
CRAANEN

MEDICINAE DOCTORI

ET

VIRIS CLARISSIMIS

NIC. GEORG. OOSTERDYK

RECTORI MAGNIFICO

EDUARDO SANDIFORT
NICOLAO PARADYS
SEB. JUST. BRUGMANS

PROMOTORI AESTUMATISSIMO

MEIN. SIM. DU PUI

MEDICINAE PROFESSORIBUS, IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA, ORDINARIIS

NEC NON

GERARD. SANDIFORT

IN EADEM ACADEMIA ANATOMIAE PROFESSORI EXTRAORDINARIO

PRAECEPTORIBUS ERUDITISSIMIS SEMPER PIE COLENDIS

SACRUM.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

GENUINO FEBRIUM INTERMITTENTIUM LARVATARUM CHARACTERE, ILLARUMQUE PECULIARI INDOLE.

INTRODUCTIO.

Varia inter medicamenta, quae arti ſanandi Regnum Vegetabile ſuppeditat, ſi quod ſit laudandum, nullus eſt, qui CORTICEM PERUVIANUM primum locum tenere negabit, non ideo tantum, quoniam ſyſtematis ſolidorum depreſſas vires vi roborante, ſtomachica, & cardiaca, valeat erigere, adeoque egregiam poſſideat efficaciam, in promovenda laudabili ſuppuratione, — in ſiſtenda gangraena, — in curanda debilitate nervea, — aliiſque in caſibus morboſis,

mirifice conſpicuam; — ſed praecipue, quod ſit praeſtantiſſimum, in febribus intermittentibus, & in tota claſſe febrium, quae ab intermittentium ſtirpe dependent, *ſpecificum antifebrile.*

Primis quibus celebrari coepit temporibus, Cortex Peruvianus, non niſi ad pellendas febres quartanas, fuit adhibitus, cum vero ab iſtius temporis MEDICIS, per extenſionem, uti dicitur, experimenti, deprehenderetur curare aeque omnes alias febres intermittentes, ac quartanas, — hinc Cortex Peruvianus deinceps, adverſus univerſam intermittentium familiam in auxilium fuit vocatus.

Itaque teſte multiplici experientia Principum in arte medica Virorum, inter *Italos* FRASSONI, — TORTI, — RAMAZZINI; — inter *Anglos* SYDENHAMI, — MORTONI, — LISTERI, — „ quos ſolos „ nominaſſe ſufficit," — curat Cortex Peruvianus omnes qualeſcumque veri nominis febres intermittentes; non tantum quando manifeſta adſunt perfectae apyrexiae indicia, ſed & tunc eas curat, quando paroxysmis, nimis diu protractis, ſive ſolito citius invadentibus, continuarum remittentium ſpeciem prae ſe ferunt. — Curat non ſolum intermittentes, quarum indoles eſt benigna, ſed & tales, quas pernicioſa ſymp-

ſymptomata concomitantur: tandem & eas curat febres, quae alios morbos ita mentiuntur, ut quid ſint, vix agnoſci poſſit.

Tollit denique Cortex Peruvianus ipſas non tantum febres intermittentes, verum etiam omnia ea quae ab ipſa febre pendebant ſymptomata: tollit ergo, ſimul ac febrem ipſam curaverit, omnes morbos chronicos, quos febrium illarum vehementia, vel diuturnitas, producere potuerit, modo organica partium laeſio, ex illis non fuerit prognata.

Haec omnia, uti iam ſupra monuimus, certiſſime efficit Cortex Peruvianus, modo nullum ſit in corpore praeſens impedimentum, quod ipſius actioni posſit obſtare, &, ſi vel non obſtiterit, tamen non conſtantem, ſed temporariam, & fugacem hujus caeteroquin tam certi remedii, efficaciam reddat.

Poſita ergo hac conditione, nullum eſſe medicamentum, cujus adeo certa eſt, modo adverſus illas febres, quibus ſanandis, par eſt, adhibeatur, potestas, quam Corticis Peruviani, audacter contendimus, dummodo opportuno tempore, & juſta doſi, detur.

Porro teſte eadem illa LAUDATORUM VIRORUM experientia, Cortex Peruvianus febres intermittentes & remittentes, ex intermittentium febrium ſtirpe na-

tas, non tantum curat certo, ſed & eas curat celeriter, quod eo magis eſt attendendum, quoniam ab hac curatione a poſteriori petitur nota, ad determinandum, num ſcilicet febris Cortice Peruviano curata fuerit, tanquam febrifugo ſpecifico, an vero ideo tantum, quoniam tali in caſu Cortex forte exſeruerit vires ſuas communes, — roborantes, — criſin promoventes, — humorum ſtatum corruptivum emendantes, — ſimilesque generales effectus, ex proprietatibus *Corticis* evidentibus pendentes.

Celeriter vero & certo non ſolum, ſed & tuto curat Cortex Peruvianus, & quidem eam ob cauſam, quod ſano ſenſu, nunquam in corpore poſſit nocere. Quum autem nullum ſit medicamentum, quod non intempeſtivo uſu, noxium evadat & fere venenatum, facile intelligitur, damnandum non eſſe Corticem Peruvianum, ubi febrem ſanaverit benignam, cujus ſanationem intempeſtivam fuiſſe, docent ipſius febris ſequelae: haec autem medici culpa, non vero medicamenti: dum quod ſibi peragendum erat, hoc peregerit, ille vero malam ſibi formaverat indicationem. — Et hiſce iam temporibus, quod nunquam noceat Cortex Peruvianus, adeo inter medicos conſtat, ut nullus ferme ſit, qui de eo dubitet: quae porro ſententia

ge-

generalibus ipſius remedii viribus beneficis probatur, quibus & tunc, quando & alio ſcopo, praeter febrifugum, fuerit adhibitus, egregiis adeo in Oeconomiam animalem effectibus ſeſe exſerit: ita ut Cortex ab omni culpa liber ſit pronunciandus, quoties vel propter corporum idioſyncraſiam — vel ob eorum ſtatum impurum, vel propter intempeſtivum ejus uſum, ad curandas febres, quae aut aegris ſalutares ſunt, aut in quas nulla eſt *Corticis* efficacia, vel demum propter doſin, morbi, cui pellendo datur, magnitudini non ſatis adaptatam, — ſpei non reſpondeat.

Innocuum vero ac tutiſſimum Corticem Peruvianum medicamentum eſſe, et eo probatur, quod nulli corpori, nulli ſexui, nulli aetati & nulli tempori, non convenit: nullas dum ſiſtat evacuationes, ex corporis oeconomia neceſſario ſequentes, neque menſium, aut lochiorum fluxum impediat — puerperis & gravidis dum proſit — languentes dum promoveat evacuationes, quae naturae lege fiunt, — compeſcat ubi nimiae fuerint, & utraſque ad ſtatum naturalem ſenſim ſenſimque reducat.

Conſtat itaque Corticem Peruvianum certo, celeriter ac tuto revera curare qualescumque febres intermittentes, inprimis, ſi (uti dicere ſolemus) in

ſubſtantia ſumatur: neque mirum, non enim uni principio, at vero omnibus, quae Corrici inſunt, tribuenda eſt vis illa febrifuga: mirandum ergo non eſt, ipſum Corticem Peruvianum, qui omnes memoratas illas virtutes unitas in ſe continet, efficaciſſimum in intermittentibus remedium antifebrile fuiſſe repertum, ac qualicumque ipſius praeparato longe antepoſitum.

Sed non tantum, uti ſupra iam diximus, paroxysmos intercipiendo, eos ſiſtit, ſic ut ad tempus impediatur eorum reditus, — „ quantumvis ſi hoc ſolum valeret „ Cortex — hoc ipſum eſſet iam per magnum & „ infiniti ad artem pretii" — verum etiam cauſam in corpore excitantem, pariter cum praedisponente tollit Cortex Peruvianus. — In omnibus enim caſibus, ubi materies febrem excitans, talis eſt indolis, aut copiae, ut viribus Corticis non ſit ſuperior, Cortex Peruvianus non pro parte, ſed totum morbum febrilem curat. — Propinato vero, intra nychthemeron poſt ipſius ingeſtionem, oculis manifeſte apparent (ſano ſenſu, & nequaquam nimis crude accipiendae) coctionis ſigna, quae tum in pulſu, & reſpiratione, — tum in evacuatione quadam critica, — tum in qualitatum ſenſibilium in naturalem ſtatum reſtitutione, — tum & in excretis, inprimis urinis,

nis, conſpicua deprehenduntur. Omnes enim humores excrementitii poſt bene peractam coctionem ad ſtatum naturalem magis magisque accedunt, & deflectionem a ſanitate, pravamque indolem a febre illis inductam, amittunt, ſic ut urinis e. gr. naturalis reddatur color, & ea quae par eſt, conſiſtentia.

Febres intermittentes modo haud parum mirando, curans Cortex Peruvianus, minime ſemper illud efficit ſenſibili quadam excretione vere critica, plus minusve copioſa, ſed talem curationem etiam & plerumque reſolutione perfecta, *Luſi* dicta, abſolvit, ea quidem ratione, ut non raro alienatum a naturali corporis ſtatum, nulla excitata turba, in ſanitatem reſtituat; nulla mota evacuatione ſenſibili, neque vomitu, neque alvo, neque ſudore, neque urina: inſenſibiliter enim quaecumque organismo nocentia inſunt, expellit. Quae vero licet ſaepiſſime ita fiant, & quidem critice locum habeant, accidit tamen aliquando, ut viribus, poſt *Corticem* aſſumtum, refocillatis, ſenſibiles oriantur evacuationes, inprimis ubi copioſior fuerit humorum nocentium apparatus, aut ſi *Cortex* majori doſi, vel corpori ſenſibili fuerit ingeſtus, ea cum ſequela, ut non *critice* ſed potius per *accidens*, notabilis ſequatur ſalutaris quaedam evacuatio,

tio, quae ſublata cauſa excitante, & nullo amplius exſpectato *pepasmo*, febrem illico tollit.

Quibus iam in genere de Corticis Peruviani virtute praemiſſis, pergendum nunc erit ad ipſius materiei pertractationem. Antequam vero eam exponamus, hoc addere liceat, ſint, nempe licet *Corticis* virtus, ac praeſtantia, in omnibus quas enumeravimus morboſis affectionibus adeo laudandae, nullo tamen in morbo, manifeſtiorem eſſe magisque mirandam ipſius efficaciam, quam illis in *febribus intermittentibus perniciosis*, de quibus nobis ſermo erit, & quae ſub *larva* cujusdam atrociſſimi & minacis ſymptomatis reconditae, vehementer corpus invadunt. Hae enim febres admodum periculoſae, quae plerumque febrium intermittentium *larvatarum* nomine occurrunt, nullo qualicumque naturae remedio debellandae, & nulla therapeia generali ſanandae, niſi Corticis Peruviani beneficio ac divina virtute, „ uti in ſequentibus „ mirifice patebit," aeque certo & celeriter pellerentur, — intenſa ſua actione, vires eminente gradu, & ad plenam usque earum deſtructionem deprimente ac penitus ſuffocante, aegros miſere necarent.

Febres autem illae *larvatae*, dum ſint ex intermittentium ſpecie, & periculoſiſſimam earum claſſem con-

constituant, falsam faciunt illorum opinionem, qui nimis lato sensu statuunt, fere numquam periculosas occurrere febres intermittentes. — Merito igitur propter earum vehementiam, sive ut ita dicam, malignitatem, ab aliis affectionibus praeternaturalibus distinguendae sunt, ac prae caeteris rite cognosci merentur. Multum enim in praxi conducit recta illarum cognitio, dum simulac febres larvatae incidant, de vita agatur, atque simul igitur de efficaci statim admovendo artis auxilio. — Juvat eo magis haec larvatarum cognitio, non tantum quoniam magna earum respectu varios inter *Auctores medicos* observatur discrepantia, sed quod doctrina illarum febrium a nonnullis, caeteroquin praeclaris viris, haud satis dilucide pertractetur.

Quid ergo de illis sit, nunc examinemus, ut inde summe periculosarum harum febrium genuinum Characterem, earumve peculiarem indolem rite determinare valeamus, quo, primario hujus de larvatis febribus medicae dissertationis scopo, satisfaciamus.

„ *Febres intermittentes larvatae* lato sensu dicun-
„ tur tales, quae sibi juncta habent, non tantum quae
„ in febre inprimis intermittente semper adsunt sym-
„ ptomata, verum & illa, quae minus constanter,

„ quin imo rariſſime eas concomitantur: ſymptomata „ inquam admodum periculoſa & adeo vehementer „ ſeſe manifeſtantia, ut ipſius febris paroxyſmus, ſi „ non in totum, certe tamen pro magna parte ſub „ larva eorum delitefcat, & vix ac ne vix quidem „ appareat."

Haec iam febrium intermittentium larvatarum deſcriptio, in genere licet ſufficiat, ad eas definiendas, minus tamen poſt accuratam earum indagationem videbitur admittenda, ubi nempe ſingulas illas febres ſpeciatim velimus ſpectare, quo, earum ab aliis morboſis affectionibus diſcrimen, eo melius appareat. — Ut igitur a modo dicta, latiori ſenſu, definitione ad ſtrictiorem adſcendamus, requiritur ut prius nonnullas talibus ex febribus larvatis, juxta generalem earum quam dedimus deſcriptionem, proponamus, & uno alterove exemplo rem illuſtremus, ordinata inde ut naſcatur illarum febrium claſſificatio, quarum *nonnullas* minus recte varii medicinae Auctores appellaverunt *larvatas*, earumque inprimis, quae ſtrictiori ſenſu unice & quaſi per excellentiam ad larvatarum febrium ſpeciem pertinent: qua facta comparatione, manifeſte patebit, non tantum, quid de genuino larvatarum febrium, ut ita dicam, exquiſitarum Charactere ſit

ſta-

ſtatuendum, & quomodo verae ab iis, quae forte nimis incongrue larvatarum nomine a nonnullis accipiuntur, diſtingui, ac omni in caſu cognoſci poſſunt, verum etiam, quanam ſtrictiori deſcriptione *exquiſitae* ſunt definiendae; — adjungendo dein *ea*, quae de peculiari ac harum febrium probabili indole, & curatione notari merentur.

Hanc itaque materiem, ut diſtincto ordine, ac rite abſolvamus, ipſius pertractationem ad quatuor praecipua retuliſſe Capita juvabit, quorum.

I. *Exempla nonnulla exhibebit pernicioſarum febrium intermittentium, quae nomine larvatarum vulgo venire ſolent.*

II. *Genuinum exponet exquiſitarum febrium larvatarum characterem, easque generatim a ſpuriis dignoſcendi, certam methodum.*

III. *Sententiam indicabit, de peculiari & probabili harum febrium exquiſite larvatarum, indole.*

IV. *Sermonem tandem continebit de efficaci haſce febres curandi methodo.*

Cujus autem antequam initium faciamus, in anteceſſum tenendum hoc eſt, plerumque febres intermittentes non periculoſas eſſe, niſi diuturnitate noceant: quin imo haud raro per accidens eſſe ſalutares, & de-

puratorias: nonnumquam autem „ uti ſupra jam verbo monuimus," accidere, ut licet plena inter paroxysmos apyrexia, nullum adeſſe periculum videatur ſignificare, comitem tamen aliquando habere aliquod ſymptoma, quod paroxysmum pro parte aut in totum non percipiendum efficiat, ſic ut indocti morbo nomen darent, a ſymptomate illum concomitante, & minime febrem haberent, quod revera febris eſt habendum. Ea autem ratione, nimis vaga foret & indeterminata illa febrium larvatarum notio, neque eas ſolas complecteretur intermittentes, quae ad noſtrum argumentum tantum pertinent, quaeque omnino quâ tales erant memorandae, quippe quae nulla alia, niſi ſpecifica *Corticis Peruviani* actione poſſunt ſuperari.

Hiſce nunc praemonitis, ipſam noſtram materiem aggredi liceat.

C A-

CAPUT PRIMUM.

EXPOSITIO

NONNULLORUM EXEMPLORUM FEBRIUM INTERMITTENTIUM PERNICIOSARUM, QUAE LATO SENSU LARVATARUM NOMINE, VENIRE SOLENT.

Nullum videtur esse symptoma inter omnia illa, quae aut semper aut saepe, febres intermittentes comitantur, quod non ad eam valeat exsurgere vehementiam, ut inde aegrotantis status, imminenti vitae periculo, exponatur, adeoque accessio febrilis, & ordinatus trium sese excipientium stadiorum decursus fere delitescat & abscondatur, unde febris iam non amplius solitis intermittentium signis erit dignoscenda, sed sub larva *vomitus*, — aut *diarrhoeae*, — aut funesti *algoris*, — aut *cholerae* mor-

bi, — aut *cardialgiae*, — aut *ſyncopes*, — aut *ſoporoſae* affectionis, — aut *ſpasmi* vel particularis, vel univerſalis, — aut alius cujuscumque ſymptomatis apparebit, & fallaci intermiſſione, medicum fallit & aegrum. — — Sic, „ ut nonnullis exemplis rem illuſtremus," accidit aliquando, ut in ipſo intermittentium paroxysmo adeo magnus *algor*, incipientis paroxysmi comes ſit, ut ſuo tempore debito calore non ſolvatur, ſed maneat frigus adeo vehemens ut marmoreum fere reddatur corpus, & tam diuturnum, ut in hiſce febribus ita dictis *algidis* aut *mortualibus*, ſi non omnem, maximam certe paroxysmi partem occupet.

Fit & non raro, ut ſub larva *Cardialgiae* obſerventur febres intermittentes. — In his autem ipſo iam ſtadio frigoris, aut incipiente calore, corripitur aeger *Cardiogmo* ſaepe adeo acerbo, ut clangoſa fiat exſpiratio; imo frequens oriatur animi defectio. — Tanta hujus pravi & adeo intenſi ſymptomatis vis eſt, ut vix unum alterumve paroxysmum perferre valeat aeger, ſine eo, ut morbi vehementiae ſuccumbat.

Caſum, hanc larvatae febris ſpeciem egregie illuſtrantem in ſua *Therapeia ſpeciali* narrat DECUS

Mu-

Mutinensis Academiae, *Vir Illustris* FRANCISCUS TORTI. — Duplici nempe tertiana cardialgica laborabat mulier, & quidem adeo vehementi, ut propter frequentia ex continuo vomitu & acerrimo ventriculi dolore, animi deliquia, iam iam moribunda crederetur, cum pulsu enim plane deleto, facies aderat Hippocratica. Sudoribus frigidis corpus madebat, atque nulla amplius ipsi erat loquendi facultas.

Huc etiam referendae sunt febres *syncopales*, in quibus sine causa evidente, & non propter acerbum dolorem uti in febre Cardialgica vidimus, sed vi ipsius febris, aeger non deuteropathice — sed protopathice animo solvitur; adeo deficientibus viribus, ut sine metu deliquii, membrum nequeat attollere, aut de loco in locum sese convertere non valeat.

Nonnumquam etiam accidit, ut in ipso intermittentium paroxysmo, omnia quae *choleram* morbum concomitantur, sese manifestent symptomata, a quibus tamen omnino illa distinguenda est febris, sub larva *cholerae* delitescens, quippe quae in posteriori casu, merum est urgens febrile symptoma, quod ipsius febris periodum & tempora sequitur: nempe quod primo paroxysmo, leviori gradu incipit, altero tamen gravius est, & tertio tandem adhuc increscit,

ſcit, & quod ipſo cum invadente paroxysmo incipit, finito vero paroxysmo, deſinit.

Maxime porro fallaces occurrunt febres *diaphoreticae*, in quibus ab horrore quidem, rigore, & frigore, paroxysmus incipit, ſuccedit & frigori calor, qui tamen debito longe citius ſudoris ſtadio excipitur. — Sudor autem eſt maxime copioſus, ſed qui non tantum febrim non minuit, ſed ſub quo copioſiſſimo manante ſudore, febris increſcit, & ita, qui calidus antea fuerat ſudor, ſenſim ſenſimque nunc in frigidum mutatur, cum ſubita virium proſtratione & facie Hippocratica, quae ſigno ſunt, aegrum aut ipſo illo paroxysmo, aut certe, niſi occurratur, ſequente paroxysmo, peremtum iri.

Soporoſae dein, *Lethargicae*, ac *Apoplecticae* febres, non minus hic in cenſum venire merentur. Hae autem ſoporoſae febres larvatae, non *tertianarium* tantum, ſed *quartanarium* aliquando typum habent, dum illae de quibus huc usque locuti ſumus, plerumque *tertianae* ſunt. — Ingruit non raro talis ſoporoſa affectio, cum ipſa febre, aliquando ipſius tantum augmento ſupervenit, proportionemque ſervat cum ipſo paroxysmo increſcente, vel declinante.

Fue-

Fuerunt aliquando hae febres epidemicae, qualem febrium intermittentium epidemiam ſub larva ſoporoſi, & apoplectici affectus deſcripſit *Meritiſſimus* WERLHOFIUS *in Editis Obſervationibus*, *ea de febre* HANNOVERAE Ao 1745.

Apoplecticis hiſce febribus, tertianae febris *Hemiplegicae* commemoratio addenda eſt, cujus caſus ſequens exſtat apud Cl. SAUVAGESIUM *in Noſologia Methodica Tom* I. *p.* 354. No. 20. *Edit. in* 4to. — „ Corripiebatur alternis diebus febrili acceſſione *virgo monialis*: „ duae priores acceſſiones hujus febris inſigni ſopore, „ cum artuum in uno latere reſolutione, cum balbutie, „ & oris in oppoſitum latus diſtorſione, erant notatae: — tertio autem ingreſſu, quum intervallo ſecundum inter & tertium paroxysmum, datus fuiſſet Cortex Peruvianus, nihil ulterius paſſa fuit, praeter ſtuporis, & formicationis quemdam in artubus ſenſum: hi „ paroxysmi 7 horarum ſpatio abſolvebantur, & aegrotans omnino durante intermiſſione, ſana videbatur."

Celeberrimus SYDENHAMUS etiam *in Epiſtola* ſua *reſponſoria prima p.* 307., de febre intermittente *apoplectica* mentionem facit: narrat enim durante quadam febrium intermittentium conſtitutione, inſigne aliquando ſymptoma hiſce febribus ſuperveniſſe. — Non ſcilicet

earum paroxysmi cum rigore & horrore invadebant, ſed aeger plane iisdem vexabatur ſymptomatibus ac ſi ipſe vera *apoplexia* laboraret; qui tamen apoplecticus affectus nihil erat, niſi febris in caput irruens, ac apoplexiae ſpeciem prae ſe ferens. — Licet autem hoc in caſu omnes cujuscumque demum generis indicari videantur *evacuationes*, ad revellendos a *cerebro* humores, uti in *apoplexia* primaria fieri ſolet, erant tamen *illae* hic omittendae, ut pote primariam hujus ſymptomatis cauſam, febrem nempe intermittentem, prorſus excitantes, atque ſic mortem accelerantes. — E contrario exſpectandum erat, donec ſponte ſua paroxysmus evanuerat, quo tempore *Cortex Peruvianus* quam primum exhibendus, & intervallis, hac febre apoplectica liberis, idem ſedulo repetendus erat, donec perfecte convaluiſſet aeger.

In opere quodam de febribus intermittentibus, praemio ab ACADEMIA *Divionenſi* coronato, CAROLUS STRACKIUS, *Moguntinenſis* olim *Medicinae Profeſſor* varia perniciosarum exempla, ſub larva urgentis cujusdam, & minacis ſymptomatis occurrentium proponit, de quibus unum alterumve paucis verbis exponere, mihi iam liceat.

Corripiebatur virgo quaedam acuto capitis in parte

ſi-

ſiniſtra dolore, qui matutino tempore hora 9 incipiens, non niſi poſt quartam veſpertinam deſinebat, & ita quidem per certos circuitus: — mediis inter acceſſiones temporibus requies erat, & noctu ſomnus: — durante vero hocce dolore, multum protuberabat oculus ſiniſter, cum rubore & lacrymis: arteria autem angularis juxta oculum, ut & caeterae totius corporis omnes arteriae, neque celerius neque frequentius quam integra valetudine pulſabant; neque frigus ante nec praeſente dolore calor; neque ſitis, neque ſecutus ſudor eſt, neque urina quaemadmodum caeterum in aegrotante ſolet: — potuiſſet & cibos comedere aegra, ſi prae dolore ipſi licuiſſet: neque ſecretiones neque excretiones, acceſſuum vel intermisſionum tempore defecerunt, ſed uti in ſano corpore convenit, ſeſe habuerunt. — Sanata fuit illa aegrota unice Corticis Peruviani uſu, aeque ac ſimili dolore liberata fuit tribus poſt memoratam Cephalalgiam, elapſis annis, per eundem quem ſuperius adeo laudavimus Corticem Peruvianum.

Sunt & alii caſus apud Cl. STRACKIUM, tali de affectione capitis ſumme dolorifica, quos inter, inprimis attendi meretur, dolore gravi ad cervicem, cum nulla tamen ſyſtematis circulatorii perturbatione *laborantis*,

hiſtoria. — Variis fruſtra medicamentis juxta therapeiam generalem adhibitis; applicatis in primis veſicatoriis aliisve, ſine ullo licet effectu benigno, — tandem unico Cortice Peruviano ſanatus fuit aeger.

Occurrere poſſe febres intermittentes ſub larva *Ophthalmiae*, ſequens docet obſervatio, ex STRACKII libello petita. — *Mulier* 45 *annorum, febre intermittente exquiſita laborabat, quae poſt aliquos circuitus ſponte deceſſit. Poſt dexter oculus ſubito dolere, rubere, inflammari atque tendi coepit, ob quae miſſus e vena ſanguis eſt, praeſtita potio antiphlogiſtica, decoctumque refrigerans & fomentum calidum; vapor item aquae tepidae ad laeſum oculum: omnia ſine profectu: crevit enim tumor circum, palpebras claudens, inque oculo id quod album eſſe debet, atro ſanguine ſuffuſum eſt.*

Cum his aegra os amarum habuit & urinam craſſam cum ſedimento lateri trito ſimili, ut in ipſa febre, emiſit. Ob quae & quoniam iſte quidem affectus proxime poſt febrim incipit, quaſi eo tranſlatus fomes fuiſſet, rejecto omni prioris curationis apparatu, qui oculum biduo poſt, integrum effecit.

Occurrunt etiam febres intermittentes, quae affectionem *Catarrhalem* mentiuntur. — Eo in caſu iis re-

remediis, quae Catarrhales affectiones pellere solent, nil proficimus, dum unice Corticem Peruvianum requirant. — Continuus earum calor est, — sudor incerto tempore facile erumpit; — nauseant aegri carnes, arteriarum frequentem habent pulsum, — urinam emittunt rubram, cum copioso sedimento. — Tali in casu tussis pertinax & continua aegrotantes vexat; sic ut Catarrhalis affectio cum leviori febre, ac ubi ipsa inveteraverit, hectica videri, & ista sub larva medicum fallere facile possit.

Sunt & intermittentes sub *Tussis siccae* cujusdam larva, quae nonnumquam febrim intermittentem proxime antecedit. — Incipit ergo haec tussis, ubi accessiones febriles exspectantur, & saepius iterato insultu aegros cruciat, donec febris exardescat: — medio calore requies est, usque ad proximum accessum. — Juvant quae febrim pellunt, irrita vero & vana sunt caetera, quae adhiberi in tussi semper solent remedia.

Opinari videtur Cl. STRACKIUS, occurrere etiam intermittentes, sub larva *asthmatis*, quam ad sententiam confirmandam & probandam, inter alios, sequentem exponit casum. — *Vir 60 annos natus, molitor posteaquam multum farinae confecit, infirmus evenit, cum spirandi difficultate: quod vitium quasi a*

longo labore & hausto interea plurimo farinae pulvere provenisset, vero maxime simile videbatur.

Igitur missus e vena sanguis & mel ex potu datum est, quod aliquam curationis spem ostendit. Verum tertio quintoque die reversum idem asthma est, cum sibilo, calore, siti & nausea, mediisque diebus iterum requies. Urina item die sexto turbida evenit, cum sedimento lateri trito simili.

Quare aegri alvum pharmaco prius purgavi, deinde Corticem Peruvianum obtuli, qui quam proxime spiritum integrum effecit.

Occurrunt juxta quae STRACKIUS observavit, quoque febres intermittentes sub affectionis *arthriticae* larva. — Tales autem febres articulos invadentes, dolorem in iis excitant, qui dum unam partem relinquat, statim rursus alteram petit. — Hae febres arthritidis vagae ad instar, nulla *Therapeia* generali sanandae, sed unice Cortice Peruviano erant pellendae.

Nulla dein inter intermittentes quae rite innotescat, difficilior videtur, quam illa febris quae *hystericae* passionis larvam induxit: — haec enim passio varia adeo pro individuarum, quas vexat varietate, adeo saepe fallax est, ut si istius generis adsit febris, vehementer valeat decipere medicum. Sunt

Sunt & inter larvatas, quae *convulsionibus* sese nonnumquam manifestant. — Memorantur enim casus, quibus aegroti, alterno die *morbo*, ita dicto *caduco* erant affecti, sine ulla tamen febris nota. — Fomenta tunc stimulantia, frictiones, vesicantia, atque ea quae tali in conditione morbosa ingeri solent medicamenta, mali levamen nullum attulerunt: — praeter Corticem Peruvianum nihil erat quod amissam sanitatem aegris restituere poterat, debellata prorsus Corticis usu, quam modo diximus, *Epileptica* affectione. —— Alium insuper casum Cl. STRACKIUS narrat, de febre intermittente quae *phthisin pulmonalem* prae se ferebat: — ait enim. — *Virgo* 24 *annorum a longo iam tempore emarcuit, & cutis colorem decoremque amisit: erat ejus facies pallida & aliquantum flava; oculorum palpebrae mane, & pedes vesperi circum malleolos tumidi: respiratio anhelosa, quae angusta & difficilis evenit, aegra ubi corpus movit, in omni pectoris ambitu dolor erat; mane maximeque vesperi tussis; arteriarum pulsus parvus fuit & frequens: hora tertia post meridiem membra inhorruerunt, indeque corpus incaluit, & noctu sudavit, maximeque circa pectus & cervicem; neque sudor, veluti a febre intermittente assuevit, olebat: neque aegra cibos nauseabat, sed eosdem*

su-

ſupra conſuetudinem deſiderabat: neque urina rubra neque turbida evenit, neque ſedimentum depoſuit, ſed tenuis, limpida & ſtraminei coloris manſit.

Huc acceſſit, quod hujus aegrae ſoror, tabe pulmonali exſtincta fuerat, & quod ejus item pater continenter pus tuſſiendo reddiderat. Ob quae facile videri potuit, quaſi phthiſis pulmonalis in iſta quidem familia hereditarium vitium eſſet, indeque haec ipſa aegra eandem labem accepiſſet.

Cauſae autem originem quaeſiturus relatum accepi, iſtam quidem aegram iam per ſeptem menſes morbum ſentire, poſtea vehementer accenderat, bibendo multam aquam frigidam, ſubito refrigeraſſet. Inde febrim initio quidem continenter exarſiſſe, progreſſu vero temporis ordinato modo remiſiſſe per certa intervalla: minus vero feliciter eam a Medico tum proſecutam utique fuiſſe, quod ea, aegra hucusque & marceret, & torperet.

Cum vero morbi indolem curatius perveſtigaſſem, febrim intermittentem ſub hac tabis figura latere maxime ex his novi, quod talis cauſa anteceſſit, quae febrim intermittentem excitare conſueſcit; quod morbus juxta ſuum initium certis temporibus intendebatur; quod in iſtis intenſionibus aegra cibos nauſeaverat, & tum urinam craſſam emiſerat quae ſedimentum lateri trito ſimile

prae-

praecipitaverat. Aegram vero ideo adhuc aerumnose habere, quoniam ob defectum Corticis Peruviani quaedam febris intermittentis reliquiae intus remanserunt, quae carnes & vires huc usque consumserant.

Ob quas rationes multum Corticem Peruvianum praestiti, qui protinus morbum cohibuit. Deinde consului, aegra istud auxilium diu continuaret: quod cum expletum fuisset, prior corporis decor rediit, & ipse sanguis menstruus, qui quatuor menses intus retentus erat, iterum liberaliter profluxit.

MOGUNTIAE AO. 1751 & 1752, observavit Cl. STRACKIUS febres intermittentes epidemicas sub forma *pleuritidis* in corpore sese manifestantes. Multos ille morbus invadebat, multosque, quorum laesi erant pulmones, aut vitiatus corporis habitus, necabat. — Robustiores alii in vitae quoque periculum sunt prolapsi, vel plurimum ex eo detrimenti passi sunt, quod auxilia adhiberentur inepta.

Hujus morbosae affectionis initium frigus erat, cum acuto lateris dolore, quem ilico urens excipiebat calor, nauseae junctus; accessit sitis cum magno aquae frigidae bibendae desiderio, cui simul ac aegri satisfecissent, quam potaverant aquam vomitu cito citius rejiciebant: — lingua arida erat, tussis acerba,

respiratio difficilis. Mentem violenter exagitabant vigiliae, & delirium ferox. Saepius haec inter sudor erupit: tertio die copiosum supervenit alvi profluvium, & cum eo, praecordiorum urgentes angustiae: mentis & corporis agitatio, omniumque symptomatum exacerbatio vehementer eo die tertio, laborantes cruciabant. Frequens observatus fuit arteriarum pulsus exilis, saepe inaequalis, ac nonnumquam plane defficiens. Pleuriticos juvantia remedia parum profuerunt & solus fere semper Cortex Peruvianus sanationem attulit.

Praeter vero iam memoratas febres intermittentes, sub minacis alicujus symptomatis larva occurentes, a nonnullis adhuc Auctoribus tamquam febres larvatae recensentur illae, quae durante febre intermittente sub *caloris* larva sese manifestant; ea nempe ratione, ut talis affectio febrilis, eo tempore incidat, quo solent intermittere febres. Hae autem intermittentes in quibus stadium frigoris vix ac ne vix quidem, aliqua vel vehementia, vel diuturnitate sese manifestat, sed ilico calore magno & continuo excipitur, non intermittentes videntur, sed continuae continentes; id quod revera tamen non sunt. — Hisce de febribus sub larva ut ita dicam *continuitatis* latentibus, fusius

agit

agit Cl. FRANCISCUS TORTI *Cap.* I. *Lib.* III. *Therapeutices Specialis*, atque illas, eo in loco, tanquam valde periculosas considerat.

In suo etiam libello, de febribus intermittentibus, multum de his loquitur Cl. CAROLUS STRACKIUS, licet & ea, quae ab illo in medium ducuntur exempla, ad ejus de febribus hisce intermittentibus quae sub continuarum continentium larva venire solent, sententiam probandam, haud paucis premantur dubiis, uti proximo capite patebit. — Sequens interim casus, talium larvatarum febrium pro exemplo, a Cl. STRACKIO exhibitus, ut hic inseratur, non videtur indignus.

Juvenis 23 annorum macer & sanguine plenus, protinus vires & edendi desiderium amisit, torpuit, totoque corpore lassitudinem sensit, noctu graviorem somnum, altero die vehementem calorem habuit; sitim magnam & inquietudines, intentae arteriae erant & totum corpus quasi fatigatum fuit: accessit juxta Hypochondrium sinistrum dolor, qui totum deinde pectus occupavit, & laboriosum spiritum effecit; retracti fuerunt oculi, & facta facies livida: urina vero tenuis, atque limpida mansit.

Missus e vena iterumque missus sanguis est, qui fla-

vam aquam ut bilem habuit, & praestita refrigerantia auxilia sunt; secutus vomitus biliosus est, noctu delirium, tertio die vehemens ardor, intra quem extractus iterum e vena sanguis est: post, narium haemorrhagia, bilis item vomitus continuvait & inquietudo. Media nocta multus sudor ex universo corpore erupit; qui die quarto latius aliquod remissionis spatium reliquit, intra quod oblatum vomitorium est, quod multam rursus bilem excussit.

Proxima nocte major infirmitas; sequente die quinto vehemens calor; intentus lateris atque praecordiorum dolor cum multa animi inquietudine, & corporis jactatione. Inter haec urina tenuis, qualis ante fuerat, continuavit, deinque multus iterum sudor erupit, febrim intermittentem olens, & aliquod remissionis spatium die sexto reliquit.

Ob talem sudorem, & quoniam exacerbationes certum tempus servasse videbantur, Corticem Peruvianum medicinae dedi, qui febrim quam proxime delevit, & aegrum die nono integrum restituit.

Quos iam hucusque recensuimus casus sufficere videntur ad exponendas febres illas intermittentes pernicosas, lato sensu larvatas dici solitas: magis ideo periculosas, quoniam sub aliorum morborum facie

la-

latere videntur, aut talium ſymptomatum vehementia abſcondantur, quae fere ſemper, vel minus conſtanter, febres intermittentes concomitantur.

Hoc autem loco monendum, numerum febrium *vere* larvatarum, quamvis concedamus *poſſibilem* eſſe infinitam earum varietatem, nihilominus a variis Auctoribus nimis fuiſſe multiplicatum, — ita enim febres *exquiſite* larvatae non eſſent *morbi rari*, ſed *omnium* fere *dierum*, quum contra experientia doceat, eas *ſporadice* quidem raro — *epidemice* ſaepius, ſed tamen non admodum frequenter, obſervari.

Ad finem nunc primo noſtro Capite perducto, ſtatim ad ſecundum pergendum erit.

CAPUT SECUNDUM.

DE

GENUINO LARVATARUM FEBRIUM EXQUISITARUM CHARACTERE, EASQUE GENERATIM A SPURIIS DIGNOSCENDI, CERTA METHODO.

Nonnullis iam priore Capite febrium intermittentium, quae larvatarum nomine salutari ſolent, exemplis expoſitis, noſtrum hic erit examinare, an hiſce febribus larva poſſit auferri, earumque vera explicari indoles; quod ſi fieri nequeat, certe tamen inquirendum erit, num aliquod inveniri poſſit ſignum characteriſticum quo verae ab iis, quae magis lato ſenſu tanquam larvatae febres accipi ſolent, dignoſcantur.

Varia omnino esse possunt quaecumque illa symptomata, quorum sub larva saepius adeo iam dictae febres intermittentes sese manifestant; quorum sunt inter alia, perpetuus ille, & nullo fere modo vincendus *algor*, — *cardialgia*, — *vomitus*, — *alvina dejectio*, aliaque, febres intermittentes semper, aut minus constanter, concomitantia.

Haec autem, cum etiam in benignis & manifestis, satis notabili gradu, & quidem aeque, ac in perniciosis intermittentibus febribus adesse saepissime soleant; — quaeritur ergo, quaenam sit differentia, inter eadem illa symptomata quando *larvatas*, & quando *benignas* febres intermittentes concomitari solent: — aut potius, quomodo symptomata modo memorata quando in larvatis febribus, vere talibus reperiuntur ab iisdem, ubi in intermittentibus benignis & manifestis *occurrunt*, dignosci, & rite distingui possunt?

Nota vero primaria, qua nititur talis *diagnosis*, sive *criterium* isto in casu, eo redire videtur, — „ attendi nempe debere, non tantum omnia ea symptomata, quae ipso in paroxysmo adsunt, sed & quae intermissionis tempore deprehenduntur: sive aliis verbis, — debere attendi universum omnium symptomatum & conditionum com-

complexum, aut *ſyndromen*, in aegrotantibus ob- ſervabilem. — Illud ergo criterium videtur debere pe- ti a nexu talis ſymptomatis, cum univerſo in aegro- tante circumſtantiarum complexu. — Quod ſi ergo appareat nexus, inter ipſius aegri ſtatum, durante febris intermiſſione, & inter atrox aliquod ſymptoma, quod durante paroxysmo adeſt, & impedit, quo mi- nus recte ipſe paroxysmus obſervetur, non eo tunc in caſu, febris ad larvatas pertinebit. — Sin autem nullus nexus deprehendatur, & illud ſymptoma non tantum non pendeat ab ipſius aegri ſtatu, ſed po- tius paroxysmum ipſum pro ſua cauſa habeat, erit tunc ſolummodo febris *veri nominis* larvata.

Melius autem haec patebunt, quando ad unum al- terumve febrium exemplum erunt applicata.

Accidit haud raro in febribus intermittentibus, in primis *quartanis*, quae a vehementi ſatis frigoris gradu, eoque majori, quam *reliquae* incipere ſolent; prae primis, quando debilia ſint corpora, amiſſo vi- rium robore, ſenectute, aliove morbo praegreſſo, ut diu protrahatur, & ad inſignem vehementiae gra- dum adſurgat frigus, ita ut vires vitales proſternan- tur, quo fit ut frigus calore vix excipiatur, adeo, ut calor naturalis vix ac ne vix corpori reſtitui poſſit.

Ta-

Talis autem febris *mortualis* feu *algida*, glaciale fere licet frigus inducere videatur, atque algor totum implere paroxysmum, minime tamen larvata dicenda erit: hujus enim adeo vehementis, ac diu durantis frigoris ratio, ex univerfo omnium quae aegro fupervenerunt fymptomatum complexu, reddi facile poteft. Apparet ergo hoc in cafu manifeftus nexus inter univerfam aegrorum conditionem, tam paroxysmi, quam intermiffionis tempore, locum habentem.

Alterum nunc addamus exemplum de ita dicta febre intermittente, fub larva *cholerae* morbi. In tertianis inprimis biliofis, durante paroxysmo, primarum faepe viarum commovetur faburra biliofa, & moleftiffimus inde & anxius non raro oritur vomitus, alvique obfervantur dejectiones. Haec licet affectio cholerica fatis fit vehemens, viresque plurimum vexet & profternat; licet & eum in modum, paroxysmum quodammodo turbet, — non tamen erit febris illa larvata: ipfa enim dum adeft intermiffio, haud dubia apparebunt colluviei biliofae figna: hic ergo non latet nexus inter aegri ftatum, tam in paroxysmo quam extra eum, & inter illas dejectiones alvinas, illosque vomitus, qui a commota materia faburrali biliofa in primis viis oriuntur.

Unum adhuc adjungendum eſt exemplum de febre ſub larva *cephalalgiae* occurrente.

Minus conſtanter tanquam intermittentis ſymptoma obſervatur Capitis dolor, vel capitis totius quando *cephalalgia*, vel alicujus tantum capitis partis, *hemicrania* dicendus. — At vero, ubi tamen & quidem vehementiſſimus aliquando occurrit, ea nihilominus ratione, ut manifeſtus appareat nexus inter illud ſymptoma, atque primas aegri vias, ita ut hemicrania illa vel cephalalgia, à ſaburra in ventriculo haerente, ſit orta, — tunc illa febris erit *cephalalgica*, aut *hemicranica*, ſed minime, ad febres, ſtricte ita dictas *larvatas* poterit referri.

Nexum autem *illum* modo à nobis propoſitum, haud ſatis videtur attendiſſe, in duabus obſervationibus, dequibus Cl. STOLLIUS *Rationis Med. Tom.* I. p. 80 *& ſeqq. Edit. Vien.* mentionem facit, & quas tanquam exempla febrium larvatarum ſibi obſervatarum, inter larvatas febres retulit, ſub larva nempe *hamicraniae* delitefcentium. — Caſus ſunt ſequentes.

Chirurgus 22 *annorum coryzam cum narium ſiccitate, obſtructione, ac dolore ad radicem naſi a quatriduo paſſus ad nos venit, bono habitu plenoque praeditus. Pridie horruiſſe, dein caluiſſe praeter ordinem, ſectam ſibi*

ve-

venam fuisse narrabat. Mane, quo ad nos venit, commode habuit, pulsus erat celer, sitis pauca, caput grave, odor saporque deperditus, lingua alba. Rubor ingens faciei totius. Datum est decoctum hordei cum oxymelle; jussusque est decocto emolliente tepido naribus attracto, membranam Schneiderianam fomentare. Primo die a meridie apud nos peculiarem Capitis gravitatem usque ad mediam fere noctem experiebatur, largo sudore terminatam. Die sequente cum & pulsus, & habitus corporis sanguinis detractionem exigere viderentur, facta est venae Sectio; & a meridie circa horam primam frigus, inde dolor ingens, ac fere intolerabilis ad sinum frontalem, sinistrum, qui sudore circa horam noctis undecimam finiebatur. Nares siccae, nullumque aliud in corpore molestum symptoma. Die tertio stato tempore, praegresso frigore, dolor saevus in sinu frontali dextro rediit; stata itidem hora sponte desinens. Verum hoc die lingua modicissime biliosa fuit, os subinde leviter amarescens, ructus rari, sed nonnumquam amari. Finito paroxysmo datum emeticum est, unde multa, flava, viridiaque vomuit. Paroxysmus posthac nullus rediit. Longo postea tempore hominem sanum atque ab omni febre immunem vidi.

Juvencula 24 annorum per tres ſeptimanas appetitum dejectum, frigora cum caloribus alternantia quaeſta, ſuo conſilio Venam tundi curavit: at inde pejus habuit. Acceſſit & dolor capitis, qui a meridie in ſeram usque noctem multum exacerbabatur cum horrore, aeſtuque horis promeridianis graviter affligente. Vomituritiones, oris amaror, ructus amari. Sumpto emetico, vomuit plurima bilioſa, alvusque mota aliquoties eſt. Die ſequenti a meridie rediit dolor capitis ad tempora, item ad verticem Capitis cum frigore, ſudore frigido per totum corpus; mitior tamen multo quam praecedentibus diebus. Cum ea ſumeret, quae alvum redderent modice fluentem, Cephalalgia, quae prioribus diebus aegram crudeliter affligebat, poſtea minus diu, ac mitius urgebat, tandem Critice Peruviano compreſſa eſt.

Utraque hiſtoria primariam ſedem febrium larvatarum in gaſtrico ſyſtemate locatum eſſe demonſtrat. Quamvis haec juvencula ſolo emetico curata non fuerit, paroxysmum tamen, concitata emeſi mitiorem experta eſt.

Quin

Quin ipſe Cortex juxta mentem Cl. CASIMIRI MEDICI *non niſi ea ratione febribus medetur, quod vi ſua roborante, nimiamque ventriculi & inteſtinorum irritabilitatem emendante agat.*

Id inde etiam conſequitur, in febribus larvatis non ſemper in ſolo Cortice quaerendum auxilium eſſe; quemadmodum enim pleraeque febres intermittentes tuto & ſat cito alia methodo, quam quae Corticem Peruvianum exhibet, percurantur, ſic & larvatae pleraeque hoc antifebrili ſpecifico non indigent, ſed aliis medendi modis ſat belle auſcultant. Nihilominus ubi febris ſub gravis periculoſique ſymptomatis larva deliteſcens, ipſi adeo vitae inſidias ſtruit, hoſtem a moenibus propulſare, repudiatone omni alio incerto auxilio ad Corticem Peruvianum confugere oportet.

At vero ambo hi caſus, quando accuratius erunt examinati, deprehenduntur ad febres *vere* larvatas, non pertinere; data enim intermiſſionis tempore emetica, ſtatim levarunt, ac dein *hemicraniam* curaverunt; fuit autem, excitata emeſi, educta cauſa materialis, in gaſtrico ſyſtemate haerens: ergo quoque & hoc in caſu, apertus ille nexus conſpicitur, inter ſymptoma illud, hemicraniam mentiens, & univerſam aegri circumſtantiarum ſyndromen.

Patet porro, attento animo confideratis ita dictarum febrium larvatarum hiftoriis, quas Cl. STRACKIUS memorat, & quae fuperiore Capite a nobis fuerunt expofitae, dubitari certe de iis poffe, an ad *exquifite* larvatas pertineant; — imo tales effe in quibus defunt *illa requifita*, quae ad *vere* larvatas neceffaria funt. — In febre ita e. g. fub *asthmatis* larva occurrente, apertus nexus erat, inter fymptoma illud, quod *difpnoeam* vocamus, & inter reliquum aegri ftatum: refolventium etiam & expectorantium remediorum ufu, cum fubfequente & tali in cafu conveniente cura, juxta *therapeiam generalem* inftituta, fanitas morbo laboranti reftituta fuit. — Idem locum habebat de febre intermittente, quae fub larva *continuae continentis* obfervabatur. — Licet enim lubenter concedamus occurrere poffe febres intermittentes, induta *caloris* larva, & apyrexiae tempore invadentes, fpatium, quod inter utrumque paroxysmum intermedium eft, occupare, & intermittentibus febribus, continuarum continentium decurfum exhibere, quod fufius expofuit Cl. TORTI, — animadvertendum tamen neceffario eft, jam exhibitam hiftoriam, quam Cl. STRACKIUS defcripfit, febris fcilicet intermittentis, fub continuae continentis larva occurrentis, parum adapta-

tatam esse ad probandam ipsius hac de re sententiam; non tantum, quoniam abunde constabat ille, quem saepius iam diximus, nexus inter omnium in aegrotante observandorum symptomatum syndromen, continuitatis nempe febrilis, & ipsius aegri statum; sed & eo istius Auctoris sententia minime probatur, quod, remediorum usu, quae generalis therapeia indicat, haud parum adjuta & accelerata fuit illius febris sanatio.

Superest tandem, quum in perlustrandis Cl. STRACKII exemplis versamur, ut verbo mentionem faciamus, ea de febre intermittente, quae juxta istius Viri Observationes, sub larva *pleuritidis* aegrum nonnunquam invadit. — Sed ut, quid de ea febre sit statuendum, recte intelligatur, nonnulla erunt praemittenda.

RICHARDUS MORTONUS, laudatissimus olim apud *Londinenses* Medicus, in *pyretologiae Exercitationis primae*, *Capite octavo*, allegat febrem tertianam sub *pleuritidis* larva occurrentem, sanatam fuisse unice *Corticis Peruviani* beneficio. — Quod vero ad hanc sanationem attinet, monendum erit, strenuissimum Corticis defensorem MORTONUM fuisse, ita quidem, ut non tantum audacter illo uteretur in omni

fe-

febre intermittente, & in continua remittente, ad intermittentium ſtirpem pertinente; ſed & in omni continua ſine ullo diſcrimine, licet venae ſectionem & remedia evacuantia, ubi requirebantur, non negligeret. — Illa de Corticis Peruviani virtute MORTONI opinio, ipſi ſingulari Capite (*Exercitationis primae, Capite octavo*) de *proteiformi* intermittentium *ingenio* agenti, occaſionem praebuit, ad haſce febres mirum in modum multiplicandas, & inter eas quoque tertianas intermittentes referendas, quae ſub doloris pleuritici larva decurrunt.

Haec quamvis de Cl. MORTONO monenda habuerim, fateri tamen oportet, non tantum tales febres revera locum poſſe habere, ſed & aliquando obſervari. Nonnunquam enim fit, ut ſub *larva ſpasmi partialis*, dolentis admodum, & pleuriticum dolorem aemulantis, febris intermittens lateſcat. Licet raro, docuit nihilomninus experientia, occurrere nonnunquam tertianas ſimplices, quarum paroxysmi a vehementi tali dolore pleuritico incipiebant: at his in caſibus tantum in principio adeſſe videtur illud ſymptoma: — diſparere vero, ſimulac caloris ſtadium incipiat, & ſudore tandem plane ſolvi: nulla hic de febre larvata eſt quaeſtio, quum pleuriticus ille dolor, ſymptoma

quod-

quoddam nerveum tantum ſit habendus, quod, dato ante paroxysmum opio, ſatis facile potuiſſet tolli.

Ex his igitur patet talem febrem ſub pleuritidis larva aliquando obſervatam, idoneum Cl. STRACKII ſententiae fundamentum praebere non potuiſſe, & quam periculoſa ejus ſit opinio, tum videbimus, quando demonſtrata erit origo, unde nobis error ille profluere videtur, — ſcilicet nonnumquam accidit, ut febris tertiana cum *pleuritide vera* vel *peripneumonia* conjungatur, quo in caſu, eo die qui a febre intermittente liber eſt, indicia complicati iſtius ſtatus morboſi, inflammationis nempe *pleurarum* vel *pulmonum* minus evidenter, & non niſi obſcure ſeſe oſtendant; ſed e contrario, unoquoque die tertio, adeoque tertianariis paroxysmis, vehementer exacerbantur, aucta omnium quae tunc prodire ſolebant ſymptomatum vehementia. — Haec ergo febris intermittentis cum pleuritide complicatio, omnino videtur applicanda febribus illis larvatis, quae pleuritidem mentiuntur, quas Cl. STRACKIUS deſcripſit, & de quibus nos priori iam capite egimus: at, licet dubium de illis quas ILLE memorat, pleuriticis larvatis, ullum adhuc ſuperſit, certum tamen illud erit ſtatuendum, haſce febres ad veras vel exquiſitas mi-

nime pertinere, dum manifeſtus ſatis ſit nexus, inter *pleuritidem*, vel *peripneumoniam*, & inter ipſorum aegrotantium ſtatum.

Obſcuritas vero illa ſignorum topici, in pulmone aut in plura haerentis mali, aliquando in cauſa fuit, cur diebus febris intercalaribus, adeo ſilere viderentur omnia ſymptomata, quae topici alicujus mali ſuspicionem dare poſſent; ut ab eo tempore, quo inprimis celebrari febres larvatae coeperunt, creditum fuerit, tales caſus ad febres larvatas pertinere, & vehementem illum dolorem, qui altero die exaſperabatur, altero verum ſilebat, non à topica affectione pendere, — ſed ipſius tertianariae febrilis acceſſionis, vel alius intermittentium paroxysmi, ſive quotidiani, — quartanarii, aliusve effectum eſſe habendum. — Sic etiam narrat VALLESIUS in *Commentariis ad Epidemiam* HIPPOCRATICAM, *Libri* I. *Sectionis* III. *p.* 58. *litt. D.* — Vidiſſe ſe *pleuritidem*, quam omnia concomitabantur characteriſtica pleuritidis ſigna: adeo vero intermittens illa pleuritis erat, ut alternis diebus nullo morbo affectus aeger videretur.

Ut vero ea, quae de complicatione morborum organicorum cum febribus intermittentibus, & de erroribus inde oriundis, modo diximus, — quum ſi

ad-

adſit illa complicatio non raro morbi decurſum turbet, (uti modo iam, expoſito de febre intermittente *pleuritica larvata* exemplo, abunde probatur,) occaſionemque det malae diagnoſeos & perverſae curationis — illuſtrentur, ac ulterius confirmentur, caſum illum addere liceat, quem ab HAENIO & SWIETENIO obſervatum, ab *illo* vero in *Theſibus* de febrium diviſionibus, *diviſione* II. *p.* 136. deſcriptum, legimus.

„ Laborabat *aeger* febre continua remittente, ter-
„ tiana intermittente complicata. Saepiſſime diebus
„ imparibus, quibus ſcilicet tertiana ſuperveniebat,
„ gravem patiebatur lateris dolorem: illis autem die-
„ bus vehementer aderat febris exacerbatio, dum pa-
„ ribus diebus, vix ullum lateris dolorem perciperet;
„ poſt diem 14 febris tertiana, abſolutis 7 paroxyſmis,
„ ſilebat; ſuperſtite febre continua, donec 30 morbi
„ die, duae puris librae ore ejicerentur, & ſequen-
„ tibus diebus commode ex ore, tanquam ex lagena
„ flueret, effunderetur; quo, licet puris effluvio ſeda-
„ to, non tamen purulentorum ſputorum rejectioni
„ finis imponebatur, ſed pergebat illa usque ad mor-
„ bi diem 131: — vires interim, & priſtinam ſanita-
„ tem, praeter illud unum, quod continuo, facile
„ tamen, modica prodirent ſputa, recuperavit aeger."

Sed ut exquifitas larvatas a fpuriis diftinguendi methodus, juxta eam, quam fupra expofuimus normam, melius elucefcat, fequens adhuc in medium proferremus exemplum.

In varii typi febre intermittente benigna vernali, *diathefi phlogifticae* juncta, in florentis e. g. aetatis viro, fucci & fanguinis pleno, non raro fit, ut durante caloris ftadio, magna fanguinis verfus *encephalon* determinatio oriatur, qua fomnolentia, vel fopor fatis profundus, vel & apoplexiae quafi fpecies nafcatur: — fed neque ad noftras larvatas pertinet illa febris: eft enim hic nexus manifeftus inter aegri ftatum, & praeter confuetudinem vehemens illud, durante caloris ftadio, fymptoma: reperiuntur hoc in cafu intermiffionis tempore, indubia *plethorae* verae figna, quae per calorem motumque febrilem, in actum deducta, ad eum usque gradum evehitur, ut fymptomatibus illis foporofis producendis, ab omni parte fufficeret.

Nunc vero cum eo quem propofuimus cafum, comparemus *veram* febrem larvatam, fub *tali larva*, decurrentem. — Eft revera *lethargicus*, — *foporofus*, — *apoplecticus*, — aut *paroplecticus* nonnumquam affectus in febribus intermittentibus, & quidem ita, ut nul-

nullum appareat intermittentium indicium, sed tantum morbus videatur adesse gravior, leniorve *apoplecticus*, *soporosus*, similisve. — Obtinet aliquando haec affectio initio poroxysmi, quandoque versus ipsius augmentum: dum porro febris intendatur, crescit; minuitur vero declinante febre, & ut uno verbo dicamus, proportionem, semel inchoatam, cum universo paroxysmi decursu, ad ipsius finem usque servat. — Neque solis tantum tertianariis, verum & quartanariis non raro ille *sopor* supervenit, qui si negligatur, nec cohibeatur progressus motus istius febrilis, sub periculoso tali affectu soporoso. vel apoplectico latentis, tunc merito exspectandum est, fore talem *lethargum* post unam alteramve accessionem, certe ac procul omni dubio, *letiferum*. — Operae pretium itaque non tantum est, sed & maximi momenti, notas quasdam characteristicas, imminens illud periculum praesagientes, hic indicasse, & quantum possit, rite proposuisse omnia ea signa, ex quibus conjunctis, judicari potest, laborare aegrum febre intermittente, vere larvata *lethargica* aut *soporosa*, aut & sub similis alius morbi larva delitescente.

In antecessum tamen monendum videtur, quemadmodum plus semel iam diximus, hoc etiam in casu,

 du-

durante iſtius ſtatus praeternaturalis apyrexiae tempore, nullam qualemcumque veram & certam relationem, inter minax illud & vehemens ſymptoma ſoporoſum, atque omnem caeterarum circumſtantiarum ſeriem, in quibus verſatur aeger, obſervari debere. — — Hac ergo conditione poſita, quae a febribus intermittentibus larvatis minime eſt ſejungenda, — ubi febris invadit, ſive potius, ubi incipit affectus ſoporoſus, in ſoporem *primo* pronus *aeger* eſt, ex quo excitatus, mox in eundem iterum relabitur, geſtorum immemor, aliquid e. g. poſcit, quid vero ſibi de eo propoſuerat, ſtatim obliviſcitur, ac dein dormitat: nec exprimere nonnunquam valet, quid ſibi in mente verſetur, & licet erraſſe ſe ſentiat, aliter tamen facere, vel ab erroribus ſe retinere non poteſt: balbutiens nonnunquam verba mutilat, alterum pro altero profert, non ſecus ac ſi levi apoplexia correptus, linguae paralyſi laboraret; — ingraveſcente tandem ſopore, licet a naturali ſtatu pulſus parum ſit alienatus, nec ulla fere in reſpirando difficultas, *aeger* tamen quaſi proſtratus, naribus ſtertit: nullo clamore, nulla vi nec frictione, ligatura, cucurbicularum vel veſicantium applicatione, nec ipſo urente igne, aegrotum expergefieri poteſt, & ſi paullo iam ex ſtatu illo ſoporoſo ſit ſuſcita-

ta-

tatus, in vehementiorem ſtatim ſoporem iterum incidit, nec niſi finito paroxysmo, expergeſcit; — quod ſi iam una alterave vice locum hoc habuerit, ſed ſemper majori cum difficultate, & ſymptomatum incremento, & ſi huic tandem quam maxime metuendae affectioni ſoporoſae, ſingultus accedat, tertio iam, vel ad ſummum certe quarto paroxysmo, inevitabili fato tollitur.

Haec eſt intermittentis febris ſub larva *affectionis ſoporoſae* decurrentis *imago*, uti nobis eam graphice depinxit Laudatus iam ſaepius Ill. TORTI, *therapeuticis Specialis*, *Lib.* IV. *Cap.* III. — Hanc itaque febrem merito ad veram larvatarum ſpeciem referendam eſſe cenſemus, & non tantum ad eas reliqua illa referri debet exempla, de quibus, ex TORTI petitis, iam ſupra mentionem fecimus; nec illa huc etiam ſola referri debet febris intermittens ſub larva *apoplexiae* lateſcens, quam a SYDENHAMO deſcriptam nos iam antea retulimus; — ſed & inter larvatas merito ſunt numerandae febres illae apoplecticae, aut ſoporoſae, quas WERLHOFIUS delineavit, & de quibus verbo quoque locuti ſumus.

Hunc ſi iam TORTI caſum, cum tali comparemus, quam ſuperius monuimus, cum febre ſcilicet, in-

intermittente tertianaria, quartanaria, aliave, in quibus nempe febris affectionem aliquam soporosam comitem habet, a causa manifesta ac evidente derivandam: id est, ubi nexus durante illa febre, vel extra ipsius paroxysmum inter continuum illum ut ita dicam soporem, & reliquum aegri statum deprehenditur, — tunc inquam, ni vehementer fallar, *primaria*, ac illa maximi momenti *nota characteristica*, ad dignoscendas à spuriis, larvatas veras, & eo nomine tantum dignas, absolute necessaria, luculenter statim prodibit. — Praeterea adeo sunt ferocia haec larvatarum veri nominis symptomata, ut succumbere illis debeat aeger, ubi tantum hic instituatur, juxta generalem therapeiam, caeterum in febrium intermittentium intervallis conveniens curatio; — sed specifica cura tolli debent illa symptomata & quidem tali cura, quae proxime imminentem paroxysmum ilico sistit, sanari tantum valet morbus, ac depelli quodvix atrox phaenomenon: — in sanitatem tandem aeger restituatur, unico illo remedio, quod propter ipsius eminentem in larvatis virtutem, adeo plus semel in nostra tractatione laudavimus, — *Cortice* scilicet *Peruviano*.

In omni denique febre intermittente larvata, qualemcumque typum illa servet, apyrexia plerumque,

li-

licet ſumma cum debilitate, adeſſe ſolet; quae magna debilitas, ex ſubita & inopinata virium proſtratione ſemper erit oriunda: erigantur ergo, — ſuſtententur, & excitentur vires medicamento illo efficaciſſime roborante, a quo unice ſalus hic eſt exſpectanda; — reſtaurentur nempe ſolo *Cortice Peruviano*, qui eo celerius miraculoſum quaſi ſuum effectum praeſtet, quo citius adhibeatur.

Reſtat tandem ut quaedam addamus de febrium vere larvatarum nimirum *diagnoſi*. — Cognoſcuntur hae ex regulari ſymptomatum ſub quorum larva latent, recurſu & ordine, ita tamen, ut intelligatur, huic ita dictae regularitati, nec obeſſe paroxysmi anticipatio, aeque minus ac ipſius poſtpoſitio. — — Ad febrium harum cognitionem porro concurrit, *primo* abſentia ſignorum *evidentis cauſae materialis*, quae febrem illam movere valet: talia enim ſigna ſi poſt accuratum examen nulla diebus intercalaribus reperiantur — tunc ſummo jure concludere licet, adeſſe *febrem larvatam*: — *ſecundo* lateritium aliquando concurrit urinae ſedimentum, die poſt praegreſſum paroxysmum intercalari depoſitum, quod tamen ſignum non ſemper adeſt.

Monendum tamen inprimis hic venit, potiſſimum

ex eo cognofci febres larvatas, quod vel morbus, vel fymptoma aliquod vehemens, cujus fpeciem prae fe ferunt, poft intervallum plane ab utroque liberum recurrant: nihilominus inde non eft concludendum, viciffim affectionem omnem morbofam, — omne fymptoma quod poft certum temporis intervallum regulariter redit, de praefentia febris intermittentis larvatae teftari. — Cavendum hic, quantum fieri poffit, ab errore, quem multi CLARI caeteroquin VIRI hac in febre commiferunt, unde longe frequentiores, quam revera funt, habitae fuerunt febres larvatae. — Commemorantur e. g. á nonnullis auctoribus febres larvatae fub *odontalgiae* larva praefentes; quando nempe vehemens dentium dolor, vel quotidie, vel regulariter die alterno, ftatuto tempore recurrens, obfervatur, & omnia caeterum regulariter decurrunt. Requiritur autem, ut jure febris larvata dicatur illa *odontalgia*, ut illud ibi applicari poffit *criterium*, quod iam initio hujus Capitis pofuimus: — oportet nempe, ut tali in aegroto, acerbi iftius doloris nulla qualifcumque reddi ratio poffit, ex ipfo aegri ftatu petenda: non erit itaque febris larvata, fi in dente adeo dolente vel in ipfo vel in aliquo vicino, reperiatur organica laefio, unde febris illa poffit explicari.

Ad

Ad illuſtrandam hanc ſententiam, in medium protuliſſe liceat obſervationem memorabilem a Chirurgo quodam *Anglo* THOMAS BERDMORE, in tractatu de dentium morbis, ex anglico idiomate in belgicum verſo, deſcriptam, egregie noſtram opinionem probantem. — „ Corripiebatur nempe aegrota quaedam, „ inſigni & non interrupto dolore, omnes maxillae „ inferioris dentes occupante. Hic dum dolor oriri „ credebatur, ex affectione aliqua *catarrhali*, cura „ leniter antiphlogiſtica cum veſicantium applicatio„ ne, per aliquot dies fuit inſtituta, ſine tamen ullo „ ſymptomatum levamine, continuitas doloris licet „ ceſſaret, & in intermiſſionem abiret, atque hora „ ſemper veſpertina cum vehementia & aucta vi in„ vaderet. — Ob doloris ergo mutationem, & ratio„ nem intermiſſionis, nec cum ulla examinanti appa„ reret dentium laeſio, opinabatur tandem, laborare „ aegram febre intermittente, quae odontalgiae larvam „ induxerat: varia hinc forma datus fuit *Cortex Pe„ ruvianus*, ejusque uſus per menſis ſpatium pro„ tractus: nullo tamen ſucceſſu, dum dolor aeque „ vehemens, per intermiſſiones invadens, aegram „ continuo vexaret. — Durabat dolorifica illa den„ tium affectio, donec *Chirurgus*, iu tollendo den-

„ tium ſordes occupatus, in parte poſteriore dentis
„ molaris ultimi, corruptionem detegeret, vitioſo,
„ exiguo tamen foramine, conſpicuam. Detecto illo
„ vitio, apparuit ſtatim nexus manifeſtus, inter illud
„ horrendum dentis doloris ſymptoma, & univerſum
„ aegrae ſtatum: nulla ergo ibi aderat febris larvata
„ dum poſt dolentis dentis extractionem, dolor ilico
„ ceſſaret, & priſtina valetudo aegrae reſtitueretur."

Abſolutis nunc iis, quae ad genuinum larvatarum febrium intermittentium exquiſitarum *characterem*, illarumque *diagnoſin* pertinent, — iisque omnibus inter ſe collatis, & cum ea *latiori*, quam ſupra ad finem introductionis dedimus, febrium larvatarum *deſcriptione* comparatis, non amplius difficultate premetur *ſtrictior* earum, & magis exacta definitio, ſi iam dictis hoc unum tantum ſuperaddamus: — „ quod ſi
„ inter talia ferocia & periculoſiſſima ſymptomata, &
„ omnem circumſtantiarum aegri complexum, nullus
„ obſervetur nexus, vel nulla appareat ratio, quae
„ illam ſymptomatum vehementiam valeat explicare, — tunc, atque unice tali in caſu, illae febres
„ intermittentes, ſtrictiori ſenſu, *exquiſitae larvatae*
„ dici merentur." — — Quae nobis ſuperaddere om-

omnino debuisse videmur, non tantum quum *strictior* atque magis *exacta* inde oriatur harum febrium *definitio*; — verum etiam quum illa, quorum in expositione modo versabamur, notam primariam verae ac certae exquisitarum febrium larvatarum *diagnoseos* exhibeant, atque inde quantum fieri possit, luculenter appareat GENUINUS febrium illarum CHARACTER.

CAPUT TERTIUM.

DE

PECULIARI, AC PROBABILI INDOLE FEBRIUM INTERMITTENTIUM, STRICTO SENSU, LARVATARUM.

Ea omnia, quae ſuperiore Capite huc usque tractavimus, eo tantum pertinent, ut *diagnoſis* efficiatur, & rite determinetur febrium vere larvatarum *Genuinus Character*. — — Requiritur nunc, ut verbo conemur explicare, quaenam ſit probabilis hujus ſingularis febrium generis *indoles*.

Cui ſcopo ut ſatisfaciamus, in anteceſſum monendum eſt, non tantum nos opinari unam tantum eamque ſemper eandem eſſe omnium febrium *intimam naturam*, in *variis* earum *generibus*, pro di-

diverſitate cauſarum febres excitantium, diverſimode *determinatam*; — ſed & illud dicendum eſt, omnes qualescumque febres, (uti nobis videtur) probabiliter originem ſuam debere *ſyſtemati nerveo* praeter naturam ac primario, qualicumque demum de cauſa affecto; ea quidem ratione, ut illud functionum animalium ſyſtema, praeternaturaliter irritatum, per conſenſum afficiat ſyſtema circulatorium, ſic ut ab aucta cordis & vaſorum reactione aequabiliter in toto corpore, incitatus oriatur ſanguinis motus circulatorius, in *conjunctione* quarum ambarum conditionum, exiſtimamus *praecipuum characterem* iſtius affectionis, quam *febrem* vocamus, ponendum eſſe.

Quibus ergo poſitis, neceſſario ſequitur, quod ſi affectiones morboſae ſub periculoſi alicujus ſymptomatis larva latentes, conſiderari debeant, tanquam affectones febriles, — tunc eodem jure iis competere omnia ea, quae modo diximus in omni febre occurrere. — Quum vero in omni motu febrili, ſecundum ea quae ſupra poſuimus, ſemper adeſſe debeat aequabilis incitatio motus circulatorii, ab affecto ſyſtemate nerveo, & tamen ſaepiſſime affectiones illae praeternaturales, quae febres intermittentes larvatae

di-

dicuntur, hanc illamve tantum corporis partem occupent, atque eo ſenſu ab omni alio univerſali motu febrili plane differant, quod dum hic aequabiliter corpus afficiat, illae autem alteri, alterive corporis parti incumbant, — fieri aliter non poteſt, quin quaeſtio moveatur minime incongrua nec contemnenda, num ſcilicet exquiſitae illae febres intermittentes larvatae, pro febribus topicis ſint habendae, nec ne?

Cui quaeſtioni ut ſatisfiat, in anteceſſum inquirendum eſt, an revera febres topicae obſerventur?

Exſtat apud SWIETENIUM obſervatio huc referenda, de febre intermittente quotidiana ſub larva *Ophthalmiae*, *ad* §. 757. *Tom.* II. *p.* 534. — „ Sa„ no cuidam, ac robuſto mediae aetatis *Viro*, eadem „ hora quotidie exſurgere ſolebat moleſti doloris ſen„ ſus ſupra orbitam oculi ſiniſtri eo in loco, ubi „ nervus per foramen in oſſe frontis reperiundum „ egreditur: rubere brevi poſt incipiebat oculus ſi„ niſter, — diffluebant & lacrymae: — ingrata dein „ admodum aegro erat ſenſatio, aeque ac ſi oculus „ extra orbitam ſenſim ſenſimque protruderetur, „ tanto cum dolore, ut fere aeger furore corripere„ tur. — Ceſſabant omnia illa mala, poſt aliquot ho„ ras, & nihil in oculo mutatum reperiebatur. —

„ Ve-

„ Venae sectiones, purgantia antiphlogistica, cu-
„ curbitae saepissime admotae, uti & vesicantia nihil
„ utilitatis attulerunt. — Ut autem huncce morbum
„ recte cognosceret, adfuit aegro SWIETENIUS eo
„ quoque tempore, quo dolor redire solebat: ob-
„ servavit & *ipse*, eadem omnia modo memorata
„ symptomata: pulsum, ad Carpum exploratum,
„ ne minimum quidem a statu sano alienatum reperit:
„ applicato vero minimi digiti apice arteriae, quae
„ circa oculi canthum majorem decurrit, dum altera
„ manus pulsum in Carpo examinaret, manifesto
„ percepit arteriam illam quae prope oculi canthum
„ est, non tantum celerius, sed & simul longe for-
„ tius pulsare, quam secundum naturam debebat;
„ fortius quoque, quam pulsabat arteria ad car-
„ pum." — „ *Febrim ergo*," „ ait SWIETE-
„ NIUS, *topicam adesse credidi, quam dato Cortice*
„ *Peruviano feliciter mihi curare contigit: quo*
„ *facto, me experientia docuit, eadem simili in casu*
„ *medela esse utendum.*"

Habet aliud SWIETENIUS exemplum (videatur l. c.) *hemicranicae* quotidianae, vel febris quotidianae topicae, *hemicraniam* simulantis: — casus hic est. — „ Corripiebatur *inquit Auctor*, aeger

„ hemicrania, quae quotidie eadem hora rediens, „ per octo horarum ſpatium ſatis acriter laborantem „ affligebat; deinde tamen decreſcens, ſenſim ſen- „ ſimque penitus evaneſcebat: epithemata Capiti ap- „ plicata, veſicatoria, epiſpaſtica pedibus admota, „ purgantia, aliave, nihil omnino profuerunt; — „ dato vero Cortice Peruviano ilico malum illud mo- „ leſtum deſiit. — Dum autem ille dolor incipiebat, „ primo dolebat ille locus, ubi ex foramine ſupra- „ orbitali ramus quinti paris prodit; ſenſim vero „ ſenſimque dein diffundebatur, donec totum capitis „ dimidium latus occuparet: nulla tamen in arteriis „ pulſus erat mutatio, durante dolore; & reliquae „ omnes functiones debite ſeſe habebant, quae actio- „ nes ſuas quantum poſſet, bene peragebant."

His vero febrium topicarum exemplis, alium adhuc addit caſum SWIETENIUS „ *l. c.* Afficiebatur nem- „ pe quotidie per ſex ſeptimanas, circa matutinam „ horam ſeptimam, homo quidam valido brachii „ dextri frigore, reliquo tamen corpore debitum ca- „ loris gradum ſervante. — Accedebant circa horam „ octavam, digitorum manusque tremor & rigor: in- „ gens poſt elapſum trihorium ſequebatur calor; — „ hora duodecima omnia illa ceſſabant, eodem ordi- „ ne craſtino die reditura."

Sed

Sed & exhibet SWIETENIUS eodem in loco *quartum* exemplum febrium topicarum. — „ Sequebatur „ tertianam, per calidiſſima remedia, in febrem acu„ tiſſimam mutatam, anomala febris intermittens, „ quae pluribus paroxysmis *virginem* 23 annos na„ tam, affligebat: — exhibitis nonnullis Corticis „ Peruviani doſibus, obſervabantur inter alia ano„ mala ſymptomata, quotidie alterutrius cruris tre„ mor, calor dein, & tandem ſudor, dum reliquo „ in corpore ſimile quid non deprehenderetur."

Addamus denique caſum penultimo analogum, a SAUVAGSIEO, tanquam motum febrilem topicum memoratum, in *Noſologia ſua methodica*, *Tom.* I. *p.* 359. in 4°. — „ Frigebat *aeger* quidam toto brachio ſin„ gulis diebus per *ſeptem* ſeptimanarum ſpatium, & „ hora quidem ſeptima veſpertina. — Superveniebat „ hora octava huic frigori, manus ac digitorum tre„ mor; — ſuccedebat poſt trihorium calor urens, „ quo brachium vexabatur: reliquo tamen corpore a „ ſanitate non alienato, eo unice excepto, quod „ nempe vomitus in acceſſionis initio aderat, cum „ hypochondrii, & ejusdem lateris mammae do„ lore."

Ex his itaque omnibus, quae enarravimus ſi con-

ſtare videatur de *febrium topicarum* veritate, non improbanda forte erit ſententia eorum, qui exiſtimant febres larvatas intermittentes, quemcumque typum obſervantes, nihil eſſe niſi febres topicas, hanc illamve partem obſidentes, & in illis excitantes ſimilia ſymptomata, ac ſi ab alia cauſa morboſa, in illas *primario* agente, fuiſſent excitata: quapropter ab iis ſymptomatibus, illis praeſertim quae vehementia, vel atrocitate eminent, nomen accipiunt, & ſub eorum larva deliteſcere dicuntur. — — Nos tamen, licet febres topicas lubenter agnoſcamus, easque nonnumquam variis in partibus tamquam motus febriles admodum periculoſos accipiamus, nihilominus ab illis, qui febres ita dictas larvatas pro *topicis* admittunt, debemus diſſentire, quum aliam hac de re amplexi ſumus ſententiam, quae nobis veritati, & rationi magis congrua videtur.

Si enim ad ea reſpiciamus, quae de omnium febrium identitate, in initio hujus capitis jam monuimus, & illud inprimis attendamus, quod tamquam *Characterem* primarium, & praecipuum *affectionis alicujus febrilis* ibi poſuimus, *incitatum* ſcilicet à cauſa nervea, ſanguinis *motum*, — perſpicere tunc facile erit, eorum ſententiam, qui affectiones morboſas ſub

ma-

minacis alicujus ſymptomatis larva latentes, tamquam febres topicas admittunt, magnis premi dubiis, & quidem eam praeſertim ob cauſam, quod in multis exquiſitarum febrium larvatarum exemplis, quae TORTI aliique, tamquam larvatas febres *epidemice* graſſantes, deſcripſerunt, nulla aut certe admodum exigua tantum ſyſtematis circulatorii incitatio in parte affecta fuit obſervata; quodque in iſtarum febrium ingreſſu, nequaquam ab aegrotantibus percipiatur *topicus* frigoris ſenſus, ad conſtituendam omnem febrem intermittentem, ſemper concurrens. — Quod ubi conſtiterit, jure ſtatuere licet, affectiones haſce praeternaturales, quae larvatae dici, & a nonnullis tamquam febres topicae accipi ſolent, minime iis ſemper requiſitis inſtructas eſſe, quae febrem omni in caſu conſtituunt; quum ad febrem efficiendam, non ſolum primario, ac praeter naturam affectum requiratur ſyſtema nerveum, ſed & ut per conſenſum, a nimia incitatione, mota turba in ſanguinis circulatione, ſecundario hunc in finem concurrat.

Syſtematis itaque functionum vitalium, (ut illud verbo repetamus) incitatam actionem, nequaquam, ut ita dicam excluſive ad producendas affectiones

vere larvatas requiri, — non tantum, uti modo iam diximus, per varia nonnullorum Auctorum observata confirmatur, verum etiam, concursum turbati sanguinis motus, ad conficiendam topicam febrem larvatam, locum non habere, sano ratiocinio nititur, ac abunde eo probatur.

Sufficiet forte unum tantum adjecisse *argumentum*, ut majorem nostrae opinioni lucem affundamus.

Quod si enim verum sit, admitti posse affectionem sic dictam larvatam, in motu quodam febrili topico, tunc aeque verum erit, excessum motus circulatorii huic larvatae affectioni etiam adscribi debere; quo in casu febres ita dictas topicas oriri videbimus, quas tamen juxta nostram sententiam, ab omni statu illo praeternaturali, quem febrem exquisite larvatam nuncupamur, omnino separandas esse, antea iam monuimus. — — At etiamsi hunc motus circulatorii excessum, ideoque febrem topicam revera adesse in *affectione larvata* poneremus, quid inde in praesente febre *vere* larvata fiet? — inprimis, quando talis febris sub *diarrhoeae*, *Cardialgiae*, aut & sub affectionis *Cephalalgicae* larva, occurrit?

Quum supra fusius iam vidimus, aegrotantes febre intermittente sub larva affectionis *cardialgicae* laboran-

rantes, vehementer adeo ac atrociter vexari, nemo certe negabit, „ ſi nempe verum ſit, affectionem illam periculoſiſſimam, horrendosque illos cruciatus oriri ab affectione quadam febrili, ideoque ab inſigni aliquo circulationis exceſſu, in ventriculi vaſis," — jure poſſe ſtatui, gravem ab haece adeo eminenter aucta circulatione ea in parte, ſine dubio inflammationem debere naſci, aequabiliter, totum illud viſcus, aut tantum aliquam ipſius partem occupantem, & tali modo, periculoſum gigni ſtatum illum morboſum, quem nomine *Gaſtritidis* adeo pertimeſcemus. — Idem dicendum erit de febre larvata exquiſita *cephalalgica*, & de *diarrhoeica*, dum ab hac *Enteritis*, ab illa vero *Phrenitis* neceſſario produci debebit, quum conſtat, omnem qualemcumque inflammationem, exceſſui motus circulatorii debere tribui; eo nempe ſenſu, quod talis circulatorii motus exceſſus, a praegreſſa quadam irritatione cujuſcumque demum naturae, quae ſyſtema circulatorium incitat & intendit, — ſit oriundus.

Omne extra dubium ergo poſitum videtur, quod ſi ſcilicet memoratae affectiones morboſae ſub larva alicujus ſymptomatis occurrentes, in febre quadam topica conſiſtant, atque ideo in vehementi circula-

ti-

tionis ſanguinis exceſſu, — inde tunc per ſe quaſi, ac naturalem per ſequelam, gravem oriri debere in aliqua corporis parte inflammationem. — Quod vero non ita fieri, ſed e contrario vel nullam, vel exiguam inflammationem in febre ſic dicta *cardialgica* veri nominis larvata, aut *cephalalgica* vel *diarrhoeica* aliave locum habere, ipſa docet experientia & curatio his in caſibus inſtituenda, ac ſanandis febribus iis larvatis, unice & per excellentiam accommodata: adeo equidem manifeſte ſententia noſtra Practicorum obſervationibus confirmatur, ut nulla ulteriori explicatione ad illuſtrandam & probandam, quam nos de abſente in his caſibus inflammatione, amplectimur opinionem, opus eſſe videatur.

Quum autem in affectionibus morboſis ſub larva periculoſi cujusdam ſymptomatis latentibus, ideoque in ita dictis febribus *vere* larvatis, omnem qualemcumque conditionem, motumque topicum febrilem, nequaquam admittendam eſſe cenſeamus, easque ideo non tantum tamquam febres topicas rejiciamus, verum etiam febris nomen illis praeternaturalibus affectionibus negandum eſſe opinemur, — noſtrum demum erit verbo ſententiam exponere, quam de peculiari ac probabili ita dictarum febrium *exquiſite* larvatarum indole amplecti debere, videmur.

Ut

Ut ergo recte noſtram ſententiam hac de re exponamus, praemittere nobis liceat, — quum ſupra omnem qualemcumque affectionem febrilem derivavimus a morboſe affecto ſyſtemate nerveo, mox per conſenſum ſyſtema circulatorium in motus nimios ducente — minime tamen nos tunc in animo habuiſſe rationem inveſtigare, cur in multis morboſis functionum animalium affectionibus, ſi iam non exigua functionum vitalium perturbatio, certe tamen nulla febris obſervetur?

Multis non tantum, ſed & magni momenti difficultatibus premitur illa inveſtigatio, & ad liquidum demonſtrari huc usque potuiſſe non videtur, niſi cauſam, cur non omnes qualescumque nervei ſyſtematis perturbationes, e. g. „ *convulſiones*, — *ſpasmi*, — *aliave*" omni in caſu producere valeant motum febrilem — in modificatione quadam propria, ac particulari ſtimulorum, qui febrem excitare valent, quaerendam eſſe, ponamus. — At licet lubenter concedamus perdifficile eſſe, hanc rem rite determinare, — certum tamen eſt, ſine illa explicatione ſuperſtitem manere inſignem ambiguitatem, ſic ut nobis undique res ipſa ſemper lateret, nec ſine illa quam propoſuimus *hypotheſi*, probabilis ulla ratio, hoc in caſu admodum obſcuro, unquam reddi poterit.

Hujus ergo ob ambiguitatis caufam, infignis fupereft cum obfcuritate *difficultas*, veram *larvatarum affectionum*, „ quatenus larvatarum nomen merentur," indolem determinandi, quum *noftra* hujus rei *explicatio*, fuis dubiis difficillime folvendis prematur, quae & ideo funt majora, quoniam fana ratio Illuftriffimorum Auctorum obfervationibus fuffulta, nos cogit, ut *febrem topicam* adeffe *negemus*, ubi ita dictae affectiones praeternaturales fub atrocis alicujus & valde periculofi fymptomatis *larva* delitefcant.

„ Quibus omnibus rite perpenfis, non temere af-
„ firmari poffe putamus — *exquifitas* ita dictas *febres*
„ *larvatas* unice confiftere in affectione quadam pecu-
„ liari fyftematis nervei, quae tamquam praeternatu-
„ ralis quaedam conditio, modo non facile determi-
„ nando, corpus aequabiliter, vel unam tantum alte-
„ ramve ipfius partem afficit & quidem ea ratione, ut
„ non folum illa morbofa affectio fub minacis cujusdam
„ periculofi & atrocis fymptomatis larva lateat, verum
„ etiam, ut poft intervalla plane ab illa conditione prae-
„ ternaturali libera, redeat acceffus, qui regulariter
„ perfecta cum apyrexia intermittens, pro typi quem
„ obfervat varietate, tamquam quotidianus, — aut
„ tertianus, — vel quartanus, aliusve, erit habendus."

„ Il-

„ Illae dein morbosae functionum animalium condi-
„ tiones, — minime topicarum febrium nomine salu-
„ tandae, quum potius affectiones praeternaturales,
„ & quidem ita dictae *larvatae*, dici mereantur —
„ singularem omnino habent indolem, ponendam
„ probabiliter in systematis nervosi constitutione
„ certa morbosa, quae huc usque non explicata,
„ magno vitae discrimine aegrotantes corripit. —
„ Plerumque a causa quadam materiali, (varias cor-
„ poris partes, quas aggreditur, crudeliter vexante)
„ nascuntur illae affectiones; licet tamen saepissime
„ adeo subtilis & exigua sit materialis illa causa, ut
„ nihil de ipsius praesentia in intervallis testetur, at-
„ que ejusmodi tunc videatur esse naturae, ut a *Cor-*
„ *tice Peruviano* perfecte vinci, ipsiusque usu insen-
„ sibiliter possit expelli: — sanantur enim plene ac
„ efficaciter illae *affectiones nervosae larvatae* unico
„ Cortice Peruviano, qui non tantum generalem il-
„ lam in corpore praesentem dispositionem tollit,
„ sine qua nullus orietur unquam affectus nervosus,
„ larvati nomine *dignus*, sed & etiam causam ilico
„ aufert, quae vi sua nocente morbosum illum sta-
„ tum produxerat."

Haec tamen nostra de affectionibus ita dictis larva-

tis ſententia, eo ſenſu eſt accipienda, quo nempe illarum ortum *ſtatui cuidam nervoſo* tribuendum eſſe velimus, qui tanquam variorum ſymptomatum ſyſtematis functionum animalium complexus, omnes qualescumque febres, inprimis intermittentes, nunc obſcurius, nunc autem manifeſtius ea ratione concomitatur, ut ſi invadente ipſo paroxyſmo febrili praeter modum intendatur ſtatus ille nervoſus, exinde tunc varia naſcantur ſymptomata, quae de ſyſtemate nervoſo vel aequabiliter vel pro parte tantum vehementer affecto, teſtantur. — Docuit enim omnis aevi experientia, nervoſum illum ſtatum febrilem, aut *atonico*, aut *convulſivo* effectu, ita ſe monſtrare ut ſi e. g. ſyſtema nerveum durante ipſa febre *ſpaſtica* quadam actione, vel totum corpus, vel tantum unam alteramve ipſius partem, ventriculum e. c. afficiat, — illis tunc in caſibus aut univerſalis quidam orietur motus convulſivus, aut ſpaſtica ventriculi contractio, magis minuſve gravis, vomituritioni anſam praebens. — Sin autem febrilis ille ſtatus nervoſus atoniam corpori inducat, tunc, ſi aequabiliter adſit talis nervei ſyſtematis affectio, — naſci videbimus *ſyncopen*, primario ſive *protopathice* à debilitate vera nervea productam. — Illo vero in caſu, in quo tantum aliam aliamve corpo-

po-

poris partem invadit, & *Cerebrum* e. g. aggreditur illa vere debilitans conditio, ſtatus quidam *apoplecticus* naſcetur vel *ſoporoſus*, cujus prae aliis manifeſtum exhibuit caſum Cl. HOFMANNUS, in quo ope remediorum, nerveum ſyſtema refocillantium, vita unice ſervata fuit (*).

Talis porro nervea affectio, ſive potius nervoſus talis ſtatus febrilis, quem modo iam memoravimus, ſymptomatis ad inſtar febrilis, univerſaliter ſolito fortius vaſa ſanguifera cutanea conſtringendo, febrem ſub eminentis cujusdam *algoris* larva, producet: — febrem vero *diaphoreticam*, aut potius conditionem febrilem, copioſe manantis *ſudoris* faciem prae ſe ferentem, efficiet, — tunc nempe, quando exhalantia vaſa cutanea praeter naturam & aequabiliter reſoluta ſunt. — — Idem dici poterit, ſi ſtatus ille nervoſus, corpus minus in totum turbans, hanc potius, illamve iſtius partem afficiat: ſic, ſi *cerebrum* occupet, — febris ſub *apoplexiae* larva occurret; — ſi vero *ventriculum*

(*) *Conferatur* C. J. WIRTENSOHN, *Diſſertationis Medicae Inauguralis, de Opii Viribus, fibras cordis debilitantibus & motum tamen ſanguinis augentibus*, §. 62. Harderovici Ao. 1775.

lum invadat vel *inteſtina*, — febres aderunt eminenter *cardialgiam* vel *diarrhoeam* mentientes.

Quibus itaque rite conſideratis, ſatis manifeſte apparet, nos, licet *affectiones illas larvatas*, ſaepius jam à nobis memoratas, non habeamus pro topicis febribus, eas tamen ſpectare, tanquam *ſequelas* ſtatus alicujus febrilis, & cum eo ita connexas, ut illa praeternaturalis ſyſtematis nervei affectio, à qua omnis febris primario videtur incipere, in his caſibus non tantum inſolite augeatur — verum & etiam ita determinetur, ut non aequabiliter omnes corporis partes, omniaque ipſius organa patiantur; — ſed quaedam partes, & quaedam organa prae aliis longe majore, eoque tanto gradu, ut inde varia quidem pro partium, organorumque varia indole & functione oriantur ſymptomata, ſaepiſſime adeo urgentia, ut per eorum vehementiam, generalis totius corporis affectio febrilis ſeſe palam oſtendere & cognoſci non poſſit. — Quando ergo complexus variorum ſymptomatum ſyſtematis functionum animalium, febrilis ſymptomatis adinſtar, praeter conſuetudinem, ac in larvatarum affectionum caſibus, eum in modum, uti diximus, intendatur, — tunc varii inde orientur ſtatus praeternaturales, pro partium diverſitate, quas cruciat nervoſus ille ſtatus

mor-

morbofus, diverfimode etiam determinati, & ea ratione nervofas *illas praeternaturales affectiones* producentes, ex ipfis febribus intermittentibus, aut potius ex illarum ftatu nervofo genitas, *de quibus* febrium larvatarum *nomine* fupra iam fufius egimus, & quas tamquam febres, vel magis congrue, tamquam *affectiones quasdam nervei fyftematis morbofas*, fub *algoris*, — *vomitus*, — *diarrhoeae*, — *hemicraniae*, — aut qualiumcumque praeternaturalium ftatuum *larva* delitefcentes, ibi feorfim expofuimus.

CAPUT QUARTUM.

DE

SOLA EFFICACI FEBRES EXQUISITE LARVATAS CURANDI METHODO.

Ea nunc licet omnia ad finem ſint perducta, quae non tantum nobis de febrium lato ſenſu larvatarum exemplis, paſſim ab Auctoribus allatis, erant dicenda — ſed & ea quae nobis videbantur monenda de vera exquiſite febrium larvatarum *genuini Characteris* dignoſcendi methodo; — quibus tandem *noſtra* adjecta eſt *opinio*, de peculiari illarum indole; — ſint licet inquam, haec omnia jamjam peracta, nobis tamen unum adhuc incumbit officium, antequam finem noſtrae diſſertationi imponere poſſimus; — ſupereſt nempe ut de optima, febres ita dictas vere larvatas,

aut

aut potius nerveas illas affectiones ſub larva minacis alicujus ſymptomatis latentes curandi ratione, quam egregie abſolvit Cortex Peruvianus, paucis adhuc agamus, eaquidem ratione, ut per ſe quaſi pateant, ac luculenter probentur *ea omnia*, quae ad initium noſtrae disputationis ſatis ſuperque de virtute Corticis Peruviani, ejusque praeſtantia dicta fuerunt.

Regulas ergo *primo* nonnullas exponamus generales, quas inter *alios* Cl. TORTI aeque ac *Doctiſſ:* WERLHOFIUS & praeſertim ALIBERTIUS commendarunt, juxta quas Cortex Peruvianus iis omnibus in affectionibus morboſis, quae larvatae dicuntur, erit exhibendus: — quibus *ſecundo* adjungemus unum alterumve manifeſtum & valde mirandum illarum affectionum *curationis* exemplum, ex TORTI obſervationibus petitum.

Quod itaque methodum, Corticem Peruvianum exhibendi attinet, nobis pro *prima regula* ſit, ut in ſubſtantia, (uti dicere ſolemus) adhiberi debeat Cortex ſubtiliſſime pulveriſatus, ſcopo nimirum curandi omnem *affectionem nerveam vere larvatam*, pro re nata cum vino aliquo, aliove liquore ſpirituoſo permiſcendus & ante ingeſtionem per unam, alteramve horam digerendus, ac ita quaſi praeparandus, ut „ juxta SY-

„ DENHAMI, *aliorumve* obſervationes," — ope iſtius mixtionis, non tantum Cortex ipſos aegrotantes *generatim* minus gravet, ſed & eo modo adhibitus, *majorem* etiam efficaciam praeſtet. — Licet porro eminentior a nonnullis Auctoribus ipſius Corticis *extracto* tribuatur poteſtas, docuit tamen & extra omne dubium poſuit experientia, nullibi praeſtantius agere Corticem Peruvianum, quam ubi ipſa in ſubſtantia ſumatur: quod uti in introductione iam diximus, non ita videtur mirandum, quum non ab uno tantum principio, verum ab omnibus quae Cortici inſunt conjunctis, mirifica ipſius & peculiaris pendeat agendi ratio; & quidem eam praecipue ob cauſam, quod in extrahendis variis ipſius principiis, decoctione perficiendis, ea omnia, in primis Corticis Peruviani *Materies Extractiva* oxydationem patiantur, ea cum ſequela, ut, quum antea in aqua ſolubilia fuerant, nunc inſolubilia reddita ſint. Ob rationem talis inſolubilitatis Corticis Peruviani principiorum, decoctionis ope confectorum, fere omnia Corticis praeparata, ipſius ſubſtantia, multo minorem efficaciam praeſtare videantur, ideoque ipſi Cortici haud parum poſt ponenda, cujus ratio in eo verſatur, quoniam Corticis principia, dum ipſi inſint, nullam oxy-

oxydationem paſſa fuerint, adeoque tali in caſu in corpore, facillime ſolvi poſſint (*).

Ut autem in tractandis *larvatis illis affectionibus* efficax auxilium ipſe Cortex ferat, & ſcopo in quem datur ſatis cito reſpondeat, pro *ſecunda regula* inſervire poteſt, ut eo tempore acceſſionis iſtius larvatae adhibeatur, quod exhibitionem illam non tantum permittit — licet nondum finito paroxysmo — ſed & quod quam maxime à ſubſequente, qui avertendus eſt, diſtat

(*) *Nuperrimis temporibus experientia docuit, optimam Corticem Peruvianum tractandi methodum, iis in caſibus in quibus, ipſius ſubſtantia aegrotantes nimis aggravat — in eo conſiſtere, quod Corticis pulvis ſubtiliſſimus, teratur cum aquae frigidae ſufficiente quantitate per ſatis longum temporis ſpatium in maſſam pultaceam, & ſic quaſi emulgeatur, ſeparando dein reſiduum pulverem ab ipſa Emulſionis colatura. Juxta hanc Corticis praeparationem, acquiritur ipſius materies extractiva puriſſima, nullam oxydationem paſſa, & in aqua diſſoluta, ac eum in modum egregium Peruviani Corticis praeparatum Medicinae praebens. — Extractio autem hujus materiei extractivae ex ipſo Cortice, ſecundum methodum, quam huic ſcopo, modo propoſuimus, haud parum promovetur, ſi ipſi Corticis Peruviani ſubſtantiae in maſſam pultaceam redactae adjiciatur & cum ea ſimul teratur quaedam, pro re nata determinanda* Magneſiae *rite* Calcinatae *quantitas: e. gr. dr.* j. Magneſiae, *ad* ℥i. Corticis.

tat paroxysmo. In *his*, de quibus tantum *hic* agitur *ca-ſibus*, omnes Medici inter ſe conveniunt, quamvis in *aliis*, de tempore ſcilicet maxime oportuno Corticem exhibendi, diſſentiant. Noſtro enim in caſu, ſive in febre aut affectione nervoſa *vere* larvata, non exſpectari poteſt perfectae intermiſſionis tempus, ſed quantocius fieri poſſit in ipſa jam febris declinatione, adhiberi Cortex Peruvianus debet, hac vero ratione, ut quam maxima temporis diſtantia à paroxysmo proxime ecuturo, quantum ſatis erit, Cortex adſumatur, ea ſpe, ut major Corticis quantitas brevitatem temporis compeſcat: praeſertim eo in caſu Corticem offerendi ratio urgebit, in quo intenſior non erit motus febrilis, ſed e contra vires admodum deſſicient, cum ingente pulſus debilitate & ubi magna non aderit in ventriculo aut inteſtinis irritatio: — ac denique ſi ſymptomatum vehementia illud prorſus non vetet: qua igitur in re adeo ancipiti, aut ſolus, aut pro re nata cum aliis remediis conjunctus, ad uſum poteſt, & omnino debet vocari Cortex Peruvianus. — Praeterea parum etiam utilitatis afferret Cortex ſi loco declinantis febrilis paroxysmi, — nova jam invadente detur acceſſione. Eget enim ſuo temporis ſpatio, praeſtans illud & egregium medicamentum, ut id ni-

mi-

mirum efficiat, quod in minuendo, & prorfus tollendo novo febris inceffu, praeftare debet, & certe valet.

Tertia tandem ac *ultima regula* exhibendi Corticem, fpectat quantitatem medicamenti hic neceffariam.

Secundum Cl. TORTI, aliosque celeberrimos Artis Doctores, fcopo modo memorato, quantitas Corticis Peruviani in adultis ad unciam *unam* vel unciam *unam & dimidiam* determinatur; ita quidem, ut illa nequaquam praeparationi decocti, aliusve educti inferviat, fed in ipfa ejus, uti dicimus *fubftantia* ab aegro ingeratur. — In univerfum autem, duce experientia conftat, hanc Corticis Peruviani quantitatem fufficere cohibendis omnibus illis affectionibus morbofis, de quibus huc usque egimus, modo ut iam fupra fuit obfervatum, oportuno detur tempore & conveniente fimul dofi. Aliis autem Medicis minor quantitas fuffecit, — dum aliorum e contra votis non nifi majori dofi refpondit, eam forte ob caufam, quoniam neglexerunt & tempus quo fuerat adhibendus & etiam dofin, fingulis vicibus exhibendam. — Adhiberi enim ea ratione debet determinata jam fupra Corticis quantitas, ut ejus pars longe maxima ab aegrotantibus fumatur eo tempore (uti plus femel iam monuimus) quod plurimum ab appropinquante

 aut

aut subsequente novo paroxysmo distat: pars autem reliqua duabus tribusve dosibus, successive quoad copiam minuendis, per intervalla detur, ad ipsum apyrexiae vel intermissionis tempus adaptata; sic ut tota illa quantitas *unciae* ad unciam *unam & dimidiam*, ante novum paroxysmum, ab aegrotante consumatur. — Eo efficacior caeteroquin videtur esse Corticis Peruviani virtus, in curandis affectionibus nervosis larvatis, quo major ipsius quantitas adhibita fuerit, intra determinatum & quantum fieri possit, brevissimum temporis spatium. — Celeberrimus & saepius a nobis iam laudatus TORTI jure merito animadvertit, nonnullos Medicos, qui ex consuetudine quasi, magna solent quantitate praescribere Corticem Peruvianum, sine ullo fere effectu, — eam, talem in modum dedisse, ut aegrotantes non nisi parva dosi, & post longa temporis intervalla, illum assumerent. — Non solum enim conducit sufficiente quantitate Corticem unaquaque vice exhibuisse, sed & oportet hoc intra parvum & breve admodum temporis spatium; sic ut quando, e. g. duobus aegris uno eodemque tempore certa quaedam detur & sibi respondens Corticis quantitas, ea tamen ratione, ut *alter* spatio 8 horarum sumserit *unciam dimidiam*

pro

pro dosi, ad initium intermissionis; — *alter* autem eandem quantitatem sed *quatuor* in doses divisam, per quatuor intervalla, durante illo 8 horarum spatio, ingesserit; — *prior* tali in casu curabitur; — dum *posterior* succumbet vehementiae paroxysmi proxime sequentis: — juxta enim hanc *ultimam* Corticem praebendi normam, ob ejus nimis parvas doses, non nisi justo debilius illud medicamen officio fungitur, eo nimirum tempore, quod ab invadente nova accessione quam maxime est remotum: dum tantummodo ac unice iis in casibus affectionum larvatarum, *Cortex Peruvianus* efficax valeat auxilium praestare, quando adhibetur, secundum generales illas regulas, quas de ipsius usu, hoc in Capite, jam abunde exhibuimus.

Generalioribus nunc nonnullis propositis regulis, in usu Corticis Peruviani ad debellendas affectiones larvatas, necessario tenendis ac prae caeteris observandis, nostrum tandem erit, ut uno alterove selecto exemplo, optimam & à nobis jam laudatam, eas curandi methodum, juxta propositas regulas, paucis confirmemus. — Huic tamen scopo antequam satisfaciamus, verbo monuisse liceat, quod etiamsi illae affectiones nervosae larvatae, stupenda Corticis

Pe-

Peruviani efficacia tantum ſiſtendae, nec ullo alio modo pellendae ſint — omnia ea tamen hic quoque convenire auxilia, quae ſatisfaciunt moderandis variis indicationibus qualiumcumque ſymptomatum vehementer urgentium, quae durante paroxysmo ſuperveniunt, & ita quidem ut amplecti videantur media illa auxiliaria, *curam* in genere *ſymptomaticam* dicendam, ac *indicationibus vitalibus* reſpondentem. — Sic aliquando accidit, ut vigente ipſo acceſſu, adeo periculoſa emineant ſymptomata, ut morti inevitabili exinde ſaepe aeger exponatur, qui certe vehementiae iſtius ſtatus ſymptomatici ſuccumberet, niſi ſecundum genuinam artis ſanandi doctrinam variis remediis, pro varia ſymptomatum diverſitate adhibendis, ipſius vita ſervaretur. — Nonnunquam enim in affectione illa ſub *algoris* cujusdam larva latente, ipſo durante paroxysmo, frigus urgens ac diuturnum & quaſi glaciale obſervatur, cum plenario virium vitalium lapſu, & pulſu fere deficiente; quo in caſu ad uſum ſtatim vocanda ſunt omnia illa remedia *ſtimulantia*, quae *cardiacorum* nomine venire ſolent: dum ſi affectio ſit ſoporoſa, adjungenda ſint iis *veſicantia*, aliave externe irritantia. — Conducit autem tunc tantum cura illa ſymptomatica, quando,

„ qua-

„ qualiscumque illa ſit," affectio nervea larvata *atonico* debetur aut *debilitato* ſtatui nervoſo, quae omnes praeprimis vero febres intermittentes concomitatur. — Sin autem ſtatus ille nervoſus febrilis ſeſe manifeſtet *convulſiva affectione*, quae corpus aequabiliter aut unam tantum alteramve ipſius partem crudeliter vexat, ſic ut inde conſtitutio quaedam oriatur univerſalis, vel tantum partialis convulſiva, ad producendam e. c. affectionem illam *cardialgicam* vel *diarrhoeicam*, de quibus ſupra egimus, multum faciens — pro re nata *narcotica* exhiberi debent remedia, nerveum ſyſtema convenienter & egregie ſedantia. — Denique ut verbo dicam, omnibus iis in caſibus, in quibus affectiones illae nervoſae larvatae cura ſymptomatica Medico ſunt tractandae, ad uſum vocari omnia ea poterunt remedia, quae generalis therapeia nobis offert, eum nempe in finem ut ſymptomatum vehementia inde minuatur, ſic ut aegrotantes perpeti valeant praeſentem paroxyſmum; quo demum finito, apyrexiae vel remiſſionis tempore, Corticis Peruviani tantum beneficio in ſanitatem ut reſtituantur, omnino requiritur.

Nunc tandem, ut alteram & quidem ultimam hujus

Capitis partem absolvamus, duo exhibebimus exempla, quae ex Cl. TORTI observationibus a nobis sunt petita, quaeque duos referunt casus febrium, sub larva *Cardialgiae* & *Syncopes* delitescentium, quarum affectionum praeternaturalium *prior* tali statui nervoso febrili est tribuenda, quae *convulsiva* quadam actione sese manifestat: — *posterior* vero eidem illi statui nerveo debetur, in quo insignis *atonia* apparet. — — Ut itaque ab exquisite larvata febre *Cardialgica* incipiamus, in medium protulisse liceat ipsius TORTI verba. — „ *Tertiana febre correpta est Aegrotans quaedam, quae tertia accessione, veram Cardialgiam sibi comitem adscivit. Die sequenti Febris praeter consuetudinem facta est duplex non sine quopiam ventriculi morsu in ipsa invasione, quod mihi ansam dedit cogitandi de propinando Cortice, priusquam quarta ingrueret fortior accessio. Sed quia sera admodum erat hora, quippe non longe distans hora futuri gravioris accessus in anticipationem proni, & quia denique minus metuebam in subjecto solitum, seu saltem similem laborem fere consueto, ac metuissem in alio minus assueto — superfedi pro tunc a praescriptione Corticis. Sed me facti poenituit altera die, vehemens*

mens siquidem per totum principium, augmentum, atque etiam statum accessionis increbruit Cardialgia, vi cujus Aegra sibi erodi, & mordicari a Canibus ajebat orificium stomachi. Ejulabat, dum poterat; sed saepius intercepta voce deficiebat animo: sicque alternatim ululans, suspiria edens profunda, vomitus inanes tentans, & animo deficiens, subfrigida cum minutis circa frontem suderibus, cum pulsu exili, & crebro, cum facie, semimortuam referente, oculis caligantibus, & temporibus collapsis, animam iam prope reddere videbatur. Quia vero per brevissima intervalla nonnulla identidem prodebant signa revivifcentiae, pulsusque tunc temporis nonnihil resurgebat, & appropinquante hora declinationis, caetera quoque tantillum remittebantur symptomata: ideo Aegra remediis pro re nata adhibitis adjuta, potuit a tam forti accessione evadere, remanentibus tamen non modicis postremi paroxysmi rereliquiis. Supererat quoque summa stomachi subversio, imbecillitas, & ciborum omnium nauseatio, vox clangosa, jactatio frequens, frequensque pariter suspiriorum emissio. Quamobrem vel citam, & certam suspicatus mortem in futuro paroxysmo graviore, si Cardialgia rediisset, vel periculosissimam saltem Febris con-

tinuitatem, ſi ea non rediiſſet, (quae continuitas eandem quoque mortem, ſegnius licet, erat aeque probabiliter allatura) Corticem validiſſima Methodo ſtatim praeſcripſi, quoniam non pauca intererat adhuc inter praegreſſum, & futurum paroxysmum fortiorem temporis diſtantia. Ope hujus remedii, poſt leviorem, quae parum diſtabat acceſſionem, fortior altera vix conſpicua fuit, vixque aliquis ſtomachi leviuſculus angor; quapropter, repetito paulatim remedio, intra ſeptem vel octo dies e lecto ſurrexit incolumis."

Qui dein exponendus eſt *alter* ille caſus, a TORTI titulo *Syncopalis febris* vere *larvatae* deſcriptus, — totus ut hic inſeratur, non videtur indignus, eam inprimis ob cauſam, ut *peculiaris* ipſa *Sagaciſſimi iſtius Viri* ſcribendi methodus, noſtro argumento majorem poſſit affundere lucem, utque quod nunc allegamus exemplum *illuſtrius* appareat, quam ubi tantum paucis verbis ipſius *Viri* ſententiam extrahere vellemus. — — „ *Anxie*," ſic incipit Cl. Auctur: „ *ad me advolavit Medicus quidam, inſtans ut eum eo ad inviſendum Amicum ſuum iam pereuntem in tertio Paroxysmo Syncopalis Tertianae, me citiſſime vellem conferre, inſpecturus, utrum in hoc caſu locum ul-*

ullum (quod tamen vix ſperabat) poſſet habere peculiaris mea, quam nuperrime audierat, Peruvianum Corticem offerendi ratio. Amico morem gerens, ſtatim cum eodem accedo ad Aegrotantem, invenioque iam Sacrum Miniſtrum Animae commendationem auribus illius intonantem; & candela accenſa ad os oppoſita, ſpiritus exitum expectantem. Hoc viſo ſpectaculo, ambo flectimus genua, piae ceremoniae complementum praeſtolantes, ſpectamusque a longe faciem Aegrotantis cadavericam, colorem plumbeum, oculos ſemiclauſos, albumque tantummodo exhibentes, anhelitum ſublimem, ſupinumque ſine motu decubitum. Excuſat ſe Medicus mecum, & veniam poscit aſſeverans, quod ante tres, vel quatuor horas Febre ſcilicet incipiente, non tam cito periturus videbatur Aegrotans. Revera dum ibi aliquantulum moraremur, agnovimus veram ſyncopem fuiſſe in actu tunc cum advenimus, Aegrumque iam ſenſim ab eadem leviuſcule reſurgere. Pulſum exploravimus, nec niſi aliquot perceptibiles, & cum inaequali pariter intermiſſione diſtantes pulſationes obſervare datum fuit, etſi Febris augmentum iam caperet, & tota, quanta eſſe poterat, eſſet remiſſio ipſius Syncopes. Sic pariter & alia ſe habebant ſymptomata, remiſſa videlicet in

tantum, ut non amplius in ipso mortis agone esset Aeger, prout fuerat paulo ante, sed tamen ita ut ad Vesperam circiter (erat autem tunc meridies) esset tantummodo protrahenda Vita, videlicet usque ad statum Accessionis. In hoc prognostico concordes discessimus, dixique ego Assidentibus in eo statu nil ausis exposcere: quod si Aeger vespere viveret, vespere illum iterum inviseremus. Dum petebamus domum, inquit Medicus ille — — Si viveret Aeger vespere, quid tum? Subjunxi — — Si viveret, sique non moriturum crederem nisi futura Accessione, tentarem quod in casu Aliorum, remediis cardiacis, Peruviano Cortice provisis, feliciter peregi: — sed non est probabile tandiu vivat: frequens enim, & gravis haec Syncope imminentis iam mortis praenuncia est. — — At vero, dum Aegrotans tamen vespere, prae omni opinione, adhuc in vita versaretur, curavi ut scilicet, pararetur, validissima Corticis Peruviani Tinctura, quae nomine mixturae cardiacae insigniretur, — offereturque ipsi post duas vel tres horas, si viveret, nec esset in agone. Factum est illico prout edixi. Extracte est Chinae Chinae Tinctura fortis, & Aegro malevivo post duas circiter horas oblata, & non multo post repetita. Vixit

ad-

adhuc, atque ab Accessione illa, Syncopeque simul evasit. Die sequente exhibitus est Cortex in substantia, juxta nostram adhibendi methodum. Altera die, qua expectabatur quartus Paroxysmus, vix apparuit levis umbra Febriculae. Adhuc tamen nemo illum victurum credebat; adeo languidus, adeo debilis, adeo attonitus, & tantum inconcinne gemebundus apparebat. Sed quid multis? Continuato ad aliquot dies, ac repetito remedio, cito sanatus est; & longam licet convalescentiam cum intermixtis levioribus Recidivis, nec non diuturnam virium imbecillitatem passus, perfecte convaluit, & in praesentem usque diem nonagenario major, feliciter vivit."

Et haec *curationis* ita dictarum febrium *exquisite* larvatarum *exempla*, jam *sola* sufficere videntur ad nostrum argumentum quantum fieri debet illustrandum & probandum, absque eo, ut iis adhuc alii addantur casus, quos WERLHOFII, aliorumve *Illustrium Practicorum* Scripta offerunt: praesertim quum Illi, aliique Auctores in eo conveniunt, ac uno quasi ore testantur, „ delitescentes sub minacis alicujus symptomatis larva affectiones nervosas, unice *divina* Corticis Peruviani virtute, prae omni caetero-

quin

quin efficaciſſima curandi methodo, *primario* eſſe ſanandas — itaquidem, ut in omnibus iis larvatarum afffectionum caſibus, ubi nulla quaecunque medicamina ſufficerent — illud eximium ac praeſtantiſſimum remedium ſanitatem, aeque *tuto* ac *celeriter* & *certo*, aegrotantibus reſtituerit. — Certitudo tamen hujusmodi ſanationis ope Corticis Peruviani, eo ſenſu debet accipi ut haudquaquam excludat *recidivas* harum affectionum *exquiſite* larvatarum *acceſſiones.* Varias enim ob cauſas, vix definiendas, *recidivae illae* oriri poſſunt, quae (licet apud Auctores, & ſpeciatim apud Cl. TORTI exempla contraria occurrant) *fere* ſemper obſervantur minori cum vehementia aegrotantes infeſtare, adeoque multo *mitiores* eſſe praegreſſis paroxysmis — imo non raro tali modo in febres intermittentes, ut ita dicam, communes ſive ordinarias abire. — At vero — omni in caſu, in quo occurrunt *recidivae* illae febres, juxta eandem methodum curari debent, ac per quam *primitivas* affectiones *vere* larvatas depelli debere — ſatis ſuperque jam monuimus. — —

Qui-

✣ ✣ ✣

Quibus itaque omnibus materiem, quam hac in Differtatione pertractandam fusceperamus, ad finem nos perduxisse putamus. — *Primo* enim egimus de febribus intermittentibus, quae *lato sensu* nomine larvatarum *vulgo* venire solent. — *Secundo* exposuimus *genuinum* exquisitarum febrium larvatarum *characterem*, easque generatim a spuriis dignoscendi *certam methodum*, ita quidem, ut harum affectionum praeternaturalium eminens ac singularis *proprietas*, illasque recte ab aliis, — incongrue tamquam *larvatis* acceptis, — distinguendi *norma*, adeo luculenter appareant, ut in earum curatione, dubius numquam haerere possit Medicus sanis Artis principiis imbutus: — adeo enim manifesta ac certa est omni in casu illa *diagnoseos* ratio, ut omnis qualiscumque *ambiguitas* inde plane auferatur: quae dum adeo sit sibi constans & perpetua dignoscendi illa methodus, ut numquam fallere possit, si bene tantum semper applicetur, — eo magis quo bene teneatur digna est, quoniam docti caeteroquin & praeclari in arte medica *Viri*, non raro magni satis momenti errores erraverunt, ubi de detegendo

vere larvatarum *Charactere genuino*, ac recta earum *Diagnosi* res ageretur.

Tertio porro indicavimus *loco* sententiam, quam de peculiari, & probabili febrium *exquisite* larvatarum *indole* amplectimur. — Licet revera aliis *aliam opinionem* lubenter permittamus & non solum concedamus determinationem harum praeternaturalium affectionum *indolis* non adaequate posse exhiberi, sed & non fateri vereamur, nos hic tantum & quasi per *hypothesin*, „ tamquam maxime probabilem," locutos fuisse — tamen unusquisque nobis assentietur, & nobiscum sibi omnino persuasum habebit hoc in casu adeo obscuro à nobis opinionem propositam fuisse, quae ratiocinando *sanae theoriae* minime repugnat, — quin imo majoris inde evadat momenti & multum ab ea confirmatur.

Pertractando autem ea omnia, quae praeprimis in capite *secundo* & *tertio* nostrae Disputationis continentur, abunde videmur satisfecisse *primario* & *praecipuo* hujus medicae Dissertationis *scopo*: — quum dein, quoad affectionum *vere* larvatarum curationem — *quarto loco* solam exposuimus efficacem eas sanandi methodum *unice* Corticis Peruviani beneficio absolven-

vendam, quo non tantum illustravimus, sed & cuncta probavimus ea, quae de istius praestantissimi remedii *Virtute* & *efficacia* abunde supra exhibuimus.

Nē quis ergo nos accusandos esse velit, quod hujus nostrae dissertationis initium, expositionem contineat *dotum* hujus adeo *eximii remedii*, quod in tot morborum generibus, tam mirabili plerumque effectu conspicuum est, — quod & dum prae caeteris valde sit praestans & efficax, contendere nos non veremur, nullum ipsi alium in triplici Regnorum ordine inveniendum medicamentum esse anteponendum. — Quae si quis *ulterius* exemplis velit probata, adeat ea, quae de febribus larvatis cognita, scripta sunt, — ac ubi reliqua nihil profecerunt, unicum tamen Corticem Peruvianum mirabiles effectus praestitisse, videbit; & si aliquando sibi talem affectionem morbosam sub urgenti & periculoso symptomate latentem observasse contigerit, experientia duce, nobiscum auctor erit, prae omnibus aliis remediis eo in morbo *Corticem* valere, — efficaciter sanare aegrotantes, — quin & illos ab orco revocare, de quorum jamjam instante e vita decessu, apud Medicum constaret: ut tandem verbo

dicamus, — vires debilibus — ſanitatem aegris, — & moribundis his in caſibus *vitam* reddit, eosque fato, pro tempore certe liberatos, priſtinam in valetudinem reſtituendo, ſanos denique ab omni parte relinquit.

T A N T U M.

THE-

THESES.

I.

Optimum & stupendum venenorum mercurialium, antimonialium — arsenicorum & cupreorum *oxydatorum, aut* acidis *solutorum* ANTIDOTUM, *consistit in* Acido Gallaceo, *variis in corporibus vegetabilibus, praeprimis in* Nucibus Gallarum & *tam in* Quercus *quam* Peruviani Cortice, *inveniendo.*

II.

Quum Liquoris anodyni mineralis Hoffmanni, (*aetheris sulphurici alcoholici*) *efficacia, unice ab* Aethere Sulphurico *pendeat & ipse Liquor in omni fere casu, incertae sit virtutis — huic incommodo occurrere potest Medicus, si in casibus, in quibus convenit Liquor ille anodynus, pro lubitu alicujus* aetheris sulphurici *quantitati* Alcoholis rectificatissimi *determinatam partem adjungat. — Praeparatio autem istius* Liquo-

 quo-

quoris *juxta Pharmacopoeam Batavam*, ſcopo *certae cujusdam normae, egregie reſpondet.*

III.

In omnibus caſibus, in quibus Aquae *ita dictae* mephithicae alcalinae *uſus indicatur, ejus loco quantitatem quamdam* Carbonatis potaſſae completi, *in aqua ſolutam, adhibere praeſtabit.*

IV.

Si in praeparanda Aqua Phagadaenica, *loco aquae deſtillatae,* aqua calcis *adhibeatur,* (*uti plerumque fit*) *proceſſus ille omnino eſt rejiciendus. — Conſtat enim* adhibitum hydrargyri Murias oxygenatum, *eo in caſu à calce, in hac aqua ſoluta, decomponi & ipſum hydrargyrum ſub forma oxydi aurantii coloris praecipitari; ſic quidem, ut ipſa ſupernatans ita dicta Phagadaenica aqua nihil aliud ſit, praeter aquam fere puram, parvam* Muriatis calcis *quantitatem in ſe continentem. — Laudanda ergo eſt praeſcriptio hujus medicaminis in* Pharmacopoea Batava *invenienda, ibique ſub titulo* Liquoris Mercurialis &c. *occurrens.*

V.

V.

Quum uſus Vinorum antimonialium (ex vino & aliquo Antimonii oxydo praeparatorum) dubiae ſemper efficaciae ſit, illis *ante ponenda eſt* Tartritis potaſſae ſtibiatae *in vino aliquo* ſolutio, *habita ratione ad ejus quantitatem, pro re nata nimirum determinandam.* — *Hujusmodi enim* Vinum Antimoniale Extemporaneum *ſemper aequalis erit virtutis.*

VI.

Remedio e plumbo *ſub nomine Aquae vegeto-mineralis* Goulardi *celebrato*, Acetitem Plumbi criſtalliſatam, *(ſaccharum ſaturni) pro re nata in aqua ſolutam & parva ſpiritus Vini quantitate permixtam, anteponendam eſſe cenſemus.*

VII.

Quoniam omnes fere Aquae ſtillatitiae Florum, Herbarumve, paulo poſt earum praeparationem ad ſtatum quemdam corruptivum vergant, illis relictis, omnino praeferendam, atque in earum loco adhibendam

pu-

putamus, ſimplicem aquam deſtillatam, cum aliquo ſpiritu, vel Tinctura- vel Eleoſaccharo, pro ut caſus poſtulet, permiſcendam.

VIII.

In Linimentis ad Mammas, — Labia — aliasque partes ulceratas, ſcopo repellendi applicandis, Oxydum Zinci, Plumbi oxydo *omnino praeferendum eſt.*

IX.

Siccitas, quam ſemper remediorum plumbeorum, aliorumque ſalium metallicorum, aqua ſolutorum, applicationem ſequi videmus, unice vi *eorum* repellenti *adſcribi debet.*

X.

Medicamina *proprie* Antiſpasmodica *dicenda, aut agunt vi ſedante ſive narcotica — aut vi ſtimulante — aut utraque.*

XI.

Nulla eſt in reſpirationis negotio, Muſculorum intercoſtalium atque Diaphragmatis contractio, niſi praegreſſa irritatione, à pulmonibus *urgente ſanguine venoſo* turgentibus, *producta.*

XII.

Licet deflectiones *fluidorum a ſtatu ſano lubenter agnoſcamus, minime tamen diverſas earum modificationes vel à cauſa alcalina, vel a cauſa acida, vel ab alia quadam acritate chemica ortas, accipiendas opinamur: unice admittentes, depravatam qualemcunque humorum conſtitutionem in perverſa illorum mixtione*, Pathologis *lato ſenſu* Dyſcraſia *dicta, quaerendam eſſe.*

XIII.

Sanae rationi omnino conſentaneum videtur, dyſcraſiam *fluidorum perverſae cuidam ſolidorum reactioni „ vel ab ingeſtis*, qualitate *aut* quantitate *peccantibus vel a cauſa immateriali, ortae" attribuere.*

XIV.

Ad juſtum omnis qualiscunque febris decurſum requiruntur tria *ſtadia ſibi invicem ſuccedentia, — neque niſi per* accidens *aliquod ex iis, aut obſcuratur aut ſupprimitur.*

XV.

Differentia inter febres Continuas continentes *&* Continuas remittentes *in eo conſiſtit, quod in prioribus exacerbationes & remiſſiones proficiſcantur à cauſa accidentali, adeoque ſint incertae & vagae: — in poſterioribus vero, exacerbationes & remiſſiones ex ipſa harum remittentium febrium natura oriantur & ſibi invicem regulariter reſpondeant, habita nihilominus ratione antepoſitionum & poſtpoſitionum.*

XVI.

Exanthemata febrilia *diſtinguenda ſunt in* ea, *quae ab ipſa febre, tamquam a cauſa ſua oriuntur — & in* illa, *a quibus ipſa febris orta eſt, & quorum vel expulſione extra corpus, vel depoſitione ad ejus*

ſu-

ſuperficiem febris *ſolvitur. Poſteriora diſtinctionis cauſa, utiliter in praxi appellari poſſunt* Exanthemata eſſentialia.

XVII.

In variolis — febris ſecundaria *veri nominis, in qua Natura per ſalivationem ſalutem adferre conatur, bene diſtinguenda eſt a* febre ſuppuratoria, *quae vel à ſola puſtularum copia, vel cutis ſenſibilitate oriri ſolet.*

XVIII.

Febris intermittens Phthiſicorum MORTONI, *minime eſt confundenda cum* Febre hectica: *quum* prior *a reſorpto pure oriatur:* poſterior *vero non item.*

XIX.

Febres Nerveae *non videntur appellari debere* illae febres, *quibus in decurſu ſuo ſupervenit* Status nervoſus *a* STOLLIO *deſcriptus, qui omnibus febribus qualibuscunque ſupervenire poteſt & ſolet: — ſed* illae *tantummodo* febres *ſunt* nervoſae *dicendae,*

quae non solum statum illum nervosum secum afferunt — verum etiam quae praeterea ab ipso jam earum invasionis initio, de valde praeternaturaliter affecto systemate functionum animalium testantur.

XX.

Febres illae, *quae vulgo dici solent* Catarrhales malignae, *videntur esse* tales *quae saepe per occasionem suscepti frigoris a symptomatibus quasi Catarrhalibus incipiunt — sed revera in progressu suo referri debent aut ad* Continuas corruptivas, *aut ad* Nervosas febres.

XXI.

Morbum Scorbuticum *primario in solidorum quadam debilitate „ ab evidente causa, producta" consistere opinamur: unde secundario* Dyscrasia *adeoque corruptivus aliquis tam fluidorum, quam solidorum status oriri videtur.*

XXII.

Scorbutus *practico sensu recte distinguitur in* calidum & frigidum, *quamvis scorbutus calidus revera non sit, nisi morbi varietas accidentalis.*

XXIII.

Falsam credimus eorum opinionem, qui statuunt usum Vesicantium — Epispasticorum — Fonticulorum — aliorumque similium, *morbosi alicujus humoris e corpore eliminationi inservire.*

XXIV.

Incongrua est opinio illorum, qui tineam *capitis, interiorem corii partem occupantem, iisdem auxiliis esse sanandam statuunt, quibus ipsa curatur tinea, si tantum pilorum bulbos affecerit. Licet enim lubenter concedamus, morbosam hanc affectionem, simul cum bulbis, ipsum corium infestare, omnino tamen negandum est, post extractos pilorum bulbos, superstitem constitutionem morbosam in ipsa*

cu-

cute, curae *ut ita dicam* extrahentis *ope*, *posse sanari.*

XXV.

Quod VERULAMIUS *dixit* „ Philosophorum theorias perlegi debere, tanquam totidem Naturae Glossas, quarum una fortasse hoc, alia alio loco sit emendatior," *recte transferri ad* Medicos philosophantes *potest.*

EMENDANDA.

EMENDANDA.

Pag.	2	*lign*	17	ſufficit	*leg.*	ſufficiat
—	4	—	21	formaverat	—	formaverit
—	7	—	11	*Luſi*	—	λυσει
—	9	—	1	faciunt	—	arguunt
—	9	—	18	earumve	—	earumque
—	11	—	5	adjungendo	—	adjungenda
—	20	—	21	*curationis apparatu*,	adde	*datus fuit Cortex Peruvianus*
—	21	—	16	proximum	*adde*	paroxyſmi
—	23	—	10	afleɗione	*leg.*	affeɗione
—	26	—	9	defficiens	—	deficiens
—	28	—	6	noɗa	—	noɗe
—	32	—	19	ſint	—	ſunt
—	32	—	*ult.*	poſſit	—	poſſit
—	36	—	15	*Critice*	—	*Cortice*
—	37	—	14	repudiatone	—	repudiato
—	45	—	12	ſoporoſo.	—	ſoporoſo
—	47	—	14 & 15	debet	—	debent
—	49	—	7	praeſtet	—	præſtat
—	55	—	18	affeɗones	—	conditiones
—	56	—	21	protrudererur	—	protruderetur
—	58	—	5	Epipaſtica	—	Epiſpaſtica
—	59	—	11 & 12	SAUVAGSIEO	—	SAUVAGESIO
—	60	—	19	in initio	—	initio
—	62	—	15 & 16	nuncupamur	—	nuncupamus
—	63	—	2	certe	—	certo
—	64	—	9	equidem	—	quidem
—	66	—	19	periculoſi		
—	73	—	10	ALIBERTIUS	—	ALIBERTIUS (Diſſertation ſur les fievres pernicieuſes : pag. 233 & ſuiv.)
—	74	—	15	perſiciendis	—	obtinendis
—	76	—	10	ecuturo	—	ſecuturo
—	76	—	14	defficient	—	deficient
—	79	—	17	debellendas	—	debellandas
—	83	—	16 & 17	re reliquiis	—	reliquiis
—	84	—	15	iſtius	—	hujus
—	84	—	19 & 20	Auɗur	—	Auɗor
—	86	—	21	Extraɗe	—	Extraɗa
—	87	—	7	gemebundus	—	gemibundus
—	87	—	17	ut	—	quod
—	91	—	14	proferunt	—	profuerunt